MESCOLANZE

RACCOLTE

DA


GIVLIO BERNARDINO TOMITANO

OPITERGINO.


Indice
Degli Opuscoli contenuti nel presente volume

HISTORIA
VITAE, FATORVM ATQVE MERITORVM
GEORGII GENTII
DHAMA-SAXONIS
CONSILIARII ELECTORALIS
SAXONICI, VIRI LINGVARVM TVM
ORIENTALIVM TVM OCCIDENTALIVM
PERITISSIMI
LITERATI INFELICISSIMI.

EX
AVTOGRAPHIS COLLEGIT
DIGESSIT, EDIDIT
M. AVGVSTVS BEYERVS
R. M. C.
FREYBERGENSIS.



DRESDÆ ET LIPSIÆ
APVD CHRISTOPH. HEKELII
B. FILIVM. 1733.



ILLIS,
QVORVM ANTECESSORES LAVDATISSIMI
B. GENTIO PATRONI QVONDAM EXTITERVNT, EJVSQVE MANIBVS
JVSTA FECERVNT.

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
CAROL. CHRIST.
A TETTAV,
DYNASTÆ IN MVGELN ETC.
S. REGIÆ MAJEST. POLON. ATQVE
SAXONIÆ ELECTORIS REI METALLICÆ, CIRCVLIQVE METALLIFERI SVPREMO PRÆFECTO,
ET
VIRO MAGNIFICO ATQVE
SVMME REVERENDO,
DOMINO
CHRIST. FRID.
WILISCHIO,
THEOLOGO, DOCTORI CELEBER.
DIOECESEOS FREYBERGENSIS SVPERINTENDENTI; PASTORI PRIMARIO, ET GYMNASII EPHORO LONGE GRAVISSIMO,
NEC NON

VIRIS

PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, PRVDENTISSIMISQVE

CIVITATIS FREYBERGENSIS,

DN. CONSVLIBVS, PRÆTORIBVS ET SENATORIBVS RELIQVIS,

PATRIÆ PATRIBVS,

DOMINIS ET MÆCENATIBVS SVIS AD CINERES

DEVOTISSIME COLENDIS

D. D. D.

MÆ-

MÆCENATES SVMMI,
PATRONI OPTIMI,

MVnificentia iſta, qua Majores Veſtri beatiſſimi GEORGIVM GENTIVM

 in

in vita pariter ac morte complexi ſunt, ſummo jure a me requirit, ut Hiſtoriam vitæ GENTII NOMINIBVS VESTRIS INCLYTISSIMIS conſecrem; Quod enim GENTIVS ipſe, ſi reviviſceret, facturus eſſet, ſcilicet liberalitatem VESTRAM gratus prædicare, id etiam mihi, qui beneficia Anteceſſorum VESTRORVM in B. GENTIVM collata memoro, facere incumbit. Atvero non minus multa VESTRA in me extant beneficia, quæ, ut quoddam obſe-

quii

quii & grati animi monumentum VOBIS ſtatuam, præcipiunt. Sic enim TVO, id quod gloriæ ſummæ cedit, præſidio, VIR PERILLVSTRIS fruor; Sic patrocinio VESTRO, VIR MAGNIFICE & VIRI PRÆNOBILISSIMI, VESTRIS etiam beneficiis fruitus ſum, pro iisque grati nomen clientis æternum profitebor. Date & hoc, ut hominem in terris VESTRIS natum, in civitate & ſchola educatum, & beneficiis VESTRIS altum in poſterum foveatis,

alatis, &, quod poteſtis, promoveatis. Hæc enim VESTRA laus eſt eaque perpetua. Valete quam diutiſſime & favete

VESTRORVM INCLYTISSIMORVM NOMINVM

ſubmiſſo cultori,
M. Auguſto Beyero,
R. M. C.

PRAE-

PRAEFATIO.

QVare multorum eruditorum nomina tot ſeculorum decurſibus prorſus obliterata manſerint, ejus rei varias deprehendimus rationes. Plurimi enim nihil plane conſignaverunt, quo ipſorum memoria ad poſteritatem propagari queat, quamvis a doctrina haud leviter alias inſtructi varia etiam, dum viverent, collectanea diverſis opuſculis perficiundis congeſſerint; an vero vel ex quietis cupidine vel ex invidia vel etiam ex timore ea retinuerint & adhuc retineant, neſcio ſane; Quosdam certe adeo inſipientes fuiſſe legi, ut omnia ſua MSta, totiusque vitæ ſuæ labores moribundi flammis tradiderint; Illique ipſi ſunt culpandi, quod cum vita famam evaneſcere ſinant, imo obſcurare potius annitantur. Alii, qui eruditionem ſuam li-

teris prodiderunt, opinionibus, quibus plerique hominum capti ſunt & vere præmuniti, prohibentur, quo minus applauſum, quem meruerunt, conſequantur, inprimis ſi ut Philoſophi veritates præceptoribus ſuis haud cognitas defenderint, aut inventa, quæ reipublicæ commodum quidem augent, peculiarem vero quorundam utilitatem minuunt, protulerint, aut ſi ſtudia talia, quæ propter difficultatem plures tum temporibus nacti ſunt oſores, majori cum cura amplexi fuerint. Hi eam, qua vivi caruerunt, nominis celebritatem poſt funera demum, quando invidia quieſcit, poſterorumque oculi ſenſim ſenſimque clareſcunt, ſponte adipiſcuntur. Aliis fata iniquiora, quibuſcum ipſis eſt confligandum, ſunt impedimento, ut emergere vix poſſint, cumque fatorum diverſitas tum a nobis tum ab aliis dependeat, vel philautia ſua, morum ſimplicitate atque vitæ intemperantia ſibi officiunt,

ciunt, vel obtrectationibus, malitia & injustitia supprimuntur. Vt cæteras rationes omittam, una eaque communis alleganda est causa, quæ eruditorum plerosque digno factorum suorum elogio privat. Qui exemplo THVANI, PETRARCHÆ, HEIDEGGERI aliorumque potiora vitæ suæ momenta ipsi consignaverint, eorum numerus facile iniri potest, neque plures esse crediderim, qui virtutum præconia in faciem quasi dicta æquo ferant animo, scilicet si vitæ suæ historiam, se adhuc viventibus, in omnium manibus videant. Quamobrem melius post mortem merita eruditorum ob oculos sistuntur; Documenta autem ista, ex quibus solis Biographiæ integre concinnari possunt, raro notitiam pleniorem subministrant, & quis quæso ignorat? qua negligentia & quanto cum contemtu eruditorum MSta sæpius dispersa fuerint? Siquidem jam aliunde constat, elegantissimos vete-

rum

rum codices, pariter ac aliorum ſapientum hominum ſchedulas ex tabernis inſtitorum quandoque fuiſſe conlectos. Hoc tamen ſeculo, quo Hiſtoriæ Literariæ non tantum plures amatores verum etiam fautores contigerunt, major cura atque diligentia in chartis eruditorum conſervandis adhibetur; Sed nolo jam in iſtis cauſis, quæ eruditorum Biographias & famam impediunt, recenſendis prolixiorem me gerere, ea potius impedimenta, quæ GEORGII GENTII Biographiam retardaverunt, enarraturus. GEO. GENTIVM propter eruditionem ſuam & merita publico encomio haud fuiſſe indignum, idipſum illi, qui Hiſtoriam vitæ ejus perluſtrare non gravati fuerunt, facile nobiſcum confitebuntur. Quod vero doctiſſimum eumdem virum tamdiu digna laudum ſuarum commemoratione carere oportuerit, id aliqua ex parte ejus morum ſimplicitati, ſu-

ſpi-

ſpicaci aliisque infenſo animo, ſuorum perſecutionibus & denique paupertati, quæ ipſi continuus uſque ad mortem fuit comes, erit tribuendum, adeo ut mirandum non ſit, ſi ejus fama ſtatim obſcurata & parta ſcriptis gloria oblivioni tradita fuerit. Meus quidem B. Avus M. ANDREAS BEYERVS, ad ædem D. Nic. Freybergæ Antiſtes, cui levem ſuper oſſa terram precor, ex GENTII ſermonibus, quos intra aliquot ante ejus mortem menſes cum ipſo habuerat, Deſcriptionem Vitæ GENTII compoſuerat eamque ab HENNING. WITTENIO rogatus Rigam Livonorum transmiſerat, qui Diario ſuo inſerere cupiebat, verum enim vero nullibi apparuit. *) *Ne tamen*

*) In literis ad virum Cl. Jo. Gid. Gellium Scholæ Cruc. Con-Rect. datis ſequentia legimus: „Tantis ambagibus non erat opus poſcere, quod non „ſemel tentavi, enim vero miſeram per Livonum „quendam vitam utcunque conſcriptam b. Dn. Witten Rigenſium Polyhiſtori, (an vero acceperit, „cum

tamen GENTIVS inter eruditos prorſus exularet, brevis ejus vitæ deſcriptio ad Buddeani Lexici Collectores transmiſſa eſt, quæ vero, cum MSta non conferrentur, levibus quibusdam erroribus referta fuit. Tandem ego MSta ipſa perlegi, atque circumſtantias, quæ ad pleniorem biographiam conducerent, ſedulo annotavi. Chartas autem iſtas ſtudioſius perſcrutans, ſubinde animadverti, GENTIVM de ſe ipſo more ſenum quorundam plus gloriatum eſſe erga avum meum, quam in MStis veſtigia reperire licuit; e. g. quando in Epitaphio aſſeritur, GENTIVM ad Perſas uſque & Indos iviſſe, idipſum ut

„cum ignariſſimis ignoro,) mortuo hoc de alio cogitavi, & quidem Clariſſ. Claremundio, ſed ſemper officii & aliis domeſticis negotiis præpedito non licuit, acceſſit decrepitæ ætatis varia valetudo (jam enim 73. mox implebo D. d. annum) eaque cauſa & nunc veniam & moram peto, ut otium nactus e chartis huc ſpectantia, eruere & mittere queam. &c.

ut ego pro certo habeam, non facile adducar, tantum enim abeſt, ut hujus longinquioris itineris autographa verbo etiam unico mentionem injiciant, ut potius teſtimonia aſſeverent, GENTIVM per totum illud ſeptennium, quod in Oriente transegit, plerumque Conſtantinopoli hæſiſſe. Interim non prorſus negare auſim, quandoquidem maxima Autographorum pars illotis manibus in prædam ceſſit. Hanc itaque biographiam ex MStorum Reliquiis ſolum congeſſi, illi enim, quibus GENTIVS ætate propior acceſſit, jamdudum e vita migrarunt. Hoc quidem haud diffiteor, in majorem molem facile excreſcere potuiſſe hanc Hiſtoriam, ſi ea, quæ de Commercio cum Perſis ineundo Sereniſſimo Electori JOH. GEORGIO II. propoſuit, recenſere, vel ſi negotia iſta, quæ ipſi cum Principe Tranſylvaniæ RAGOCZKY & cum BORELLIO, DVRÆO & ipſo

*ipso CROMWELLIO Angliæ Protectore **) intercesserunt, curiosius inquirere voluissem, atvero cum schedulas admodum paucas eaque præter etiam discessas offenderem, tacere malui, quam conjecturis fallacibus mihi aliisque imponere. B. itaque L. hac etiamsi brevi atque interterrupta Historia vitæ GENTII contentus sit, cum pleniorem ab ullo alio haud facile expectaverit. Vale & fave.*

PRIMUM

**) Quantum ex schedula MSta, quæ Consiglio dell Cromwello colli Hollandesi inscribitur, perspicere licet: Gentius opera sua Cromwellio inservire voluisse videtur, dum a Borellio commendatus cum Duræo communicavit, qui ad Helvetios mittebatur, ut hos, posteaque Hassos, Anhaltinos denique Principem Rogoczky in Transylvania adjungeret fœderi illi, quod Cromwellius cum Batavis (per farsi maestro colla sua religione nella Europa sotto prætexto dalla sua liberta da religione & per ruinar l' Imperio d' Allemagna & tutti li Principi & il Papa di Roma) pangere instituerat.



PRIMVM CAPVT

DE

VITA, MERITIS IN REM PVBLICAM, ET FATIS GEORGII GENTII.

CONSPECTVS.

I. Patria, Dhama, annus atque dies natalis.

II. Parentes & fratris fata.

III. Inſtitutio Gentii ſcholaſtica.

IV. Studia in Belgio continuata.

V. Iter Conſtantinopolitanum;

Mors Anslonii; Copſii iniquitas.

VI. Singulare Gentii beneficium.

VII. Reditus in patriam; Iter Scriptorum ſuorum cauſa ad Belgas ſuſceptum.

VIII. Officia publica & honores.

IX. Inſignis Leopoldi Imp. & Jo. Geo. II. clementia; Friſiorum aliorumque beneficia.

X. Res domeſtica; adverſitates; paupertas.

XI. Calumniæ & injuriæ Gentio ab aliis illatæ.

XII. Morum ejus ſimplicitas. Exitus ex hac vita beatus. Epitaphium.

§. I.

§. I.

ILli, qui patriam nonnihil ad hominum laudes conferre existimant, nimium quantum mihi errare videntur, quippe cum ex vili & rustica domo, fortissimi & literarum & militiæ heroes sæpius prodierunt, qui res æterna dignissimas laude gesserunt, istique, cui fuerunt innutriti, loco quamvis contempto alias atque obscuro famam celebritatemque attulerunt. Non omnes quidem pari fatorum benignitate gaudent, quamplurimi enim hostium fortunæ suæ ac famæ foris domique insidias struentium multitudine æque ac potentia prohibentur, quo minus suis in rem tum publicam tum literariam meritis patriam reddant illustriorem. In vita GEORGII GENTII eorum, quæ jam nunc dixi, veritas clarius apparebit. Etenim, si initium duxero, unde vitæ exordium habuit. Natale solum & locus ipsi fuit Dhama, a) oppidum ad Principatum Querfurtensem pertinens, quanquam longe a Quernfurto dissitum, oras Circuli Electoralis Saxoniæ & inferioris Lusatiæ attin-

 gens.

a) Eum itaque Jo. Fabricius Hist. Biblioth. Fabricianæ P. V. Num. CXXIX. p. 339. Batavum perperam vocavit.

gens. Hoc quidem hodie ædificiorum amplitudine quadâm & cumprimis Aulæ, quam ſibi heic Magnanimus Heros, Sereniſſimus Princeps JOHANNES ADOLPHVS Dux Weiſſenfelſenſis conſtituit, ſplendore ſuperbit ac celebratur; at vero olim locus iſte crebris incendiis exuſtus rerumque indigentia preſſus nunquam ſui famam colligere potuit. b) Incidit GENTII

b) Dhama pluribus adhuc ante geſtum bellum tricennale retro annis in arte lanifica floruit; ſed ab anno 1624. multa belli incendia aliasque continuo ex bello natas calamitates paſſa eſt. Anno 1627. durante adhuc obſidione Torgavienſi, peſtis, bellum & fames, tria mala nemini præter ſibimetipſis amica, uno veluti momento exitium oppido minata ſunt, quinimo tanta annonæ fuit ſævitia, ut multi tum temporis canibus & felibus veſcerentur; Inprimis Sueci in civibus tormentis flammaque affligendis crudeliſſimos ſe geſſerunt; alios oculis, alios ad ignem vivos aſſando vita privaverunt, adeo, ut cives ultra viginti haud ſupereſſent plures. Hæc calamitas ad annum hujus ſeculi quinquageſimum uſque continuavit, cujus ſcilicet die 10. Junii hoſtes injecto igne totam fere urbem deleverunt, ut quidem ex Gentii literis ſenatus Dhamenſis nomine ad Jo. Geo. II. ſcriptis intelligimus. Oppidi hujus antiquitatem priſtinamque famam oſtendunt in Hiſtoria adhuc celebres Domini

TII noſtri ætas in triſtiſſima illa tempora, quibus bella, quæ triginta perduraverunt annos, ſane truculentiſſima gliſcere cœperunt. Natus enim anno recuperatæ gratiæ ſupra milleſimum ſexcenteſimum decimo octavo, & ſic in incunabulis ſtatim eam fatorum diritatem expertus eſt, quæ ipſum deinde omni fere in vita acriter eſt perſecuta.

II.

Patrem habuit JOHANNEM GENTIVM (*Gentze*) qui primo ſoleis ferreis cudendis, deinde rei cauponariæ operam dedit, & tandem Senator in oppidulo delectus eſt. Matrem URSULAM genere ENDEMANNIAM, quæ quatuor ipſi enixa eſt liberos, duas filias totidemque filios. Alterum filium JOHANNEM natu majorem Saxonum caſtra ſequi oportuit, qui tamen in patriam & quidem vulneratus redux non tantum patre, utpote ab hoſtibus nocturna irruptione globulo plumbeo occiſo, ſe orbatum

mini *von der Dahme* an. MCCCCV. extincti, quorum natalis ſedes quondam fuit, de quibus quam fuſiſſime diſſerit amicus noſter ſingularis vir pl. Rev. Jo. Frid. Gauhe *in Röm. Reichs Adels Lexico* a p. 303-306. Plura expectare jubemus L. B. a Max. Rev. Jo. Gottfr. Krauſe, qui quæ ad hiſtoriam Dhamenſem pertinent, diligenter collegit.

batum vidit, ſed & paternas ædes in ruderibus jacentes deprehendit, quas denuo ædificavit. Idem munus Conſulare tandem nactus diem ſupremum non tamen ſinu ſuſpicione veneni accepti an. MDCLXIV. die 13. Sept. obiit. c) Alterum filium GEORGIVM noſtrum, cujus vitam explicare aggreſſi ſumus, parentes in ſinu ſuo ingenue liberaliterque educatum ad ſtudia, quæ frater ejus, hoſtibus an. MDCXXVII. ferro flammisque ſævientibus, deſeruerat, diligenter incitarunt, quæ GENTIVS etiam cupide ſtatim amplexus eſt, adeo, ut inſequentes anni, noſtrum non invita Minerva, quanquam infelici tempore ad ſtudia acceſſiſſe, locupletiſſimi extiterint teſtes.

III.

Puer quindecim annorum, poſtquam primis artium virtutisque rudimentis ab ALEXIO LEHMANNO Scholæ patriæ Ludimoderatore gnaviter imbutus erat, magnam-

c) Cum enim eodem die templum frequentare vellet, in morbum celeriter incidit, & veſperaſcente die magnos inter cruciatus animam efflavit. Exanimis uſque adeo intumuit, ut capulo vix includi potuerit, hinc vidua nihil fortaſſis recti ſibi conſcia ſequenti ſtatim die ſine pompa & cantione in ſepulcrum ſuum inferri curavit, nulla prius ad fratrem & ſorores de ejus morte mentione facta.

magnamque pietatis ſuæ pariter ac ſingularis in ſtudia amoris laudem reportaverat, an. MDCXXXIII. extra patriæ limen ſtudia conſectari cœpit. Satis enim iniquam patriam invenerat novercam, itaque alibi locorum periclitandum eſſe cenſuit, an poſſit habere matrem benignam. Halam Saxonum conceſſit & ſub Lycei Halenſis Rectore celebrati nominis viro CHRISTIANO GVEINZIO linguarum fundamenta tum jecit tum jacta confirmavit, ſpemque præceptoribus ſuis fecit magnam, fore, ut ad illud, quod adſpirabat, eruditionis culmen aliquando pertingeret. Inde an. MDC XXXV. die V. Id. Octobris abiens in Ducatum Sleſvicenſem ſe contulit, ibidemque per anni ſpatium liberos Eccleſiaſtis Satorpffienſis M. MELCHIORIS WITTII artibus ad humanitatem informavit. At vero jam Theologiæ ſtudium delegiſſe videbatur, in quo ut felicius poſtea verſaretur, Hamburgum os prius linguis neceſſariis expoliturus, pectusque diſciplinis literisque elegantioribus inſtructurus an. M DCXXXVI diſceſſit. Hac quidem in urbe hodie Excellentiſſimi Orientalis literaturæ vindices & doctores inveniuntur, tales tamen tunc temporis admodum fuiſſe raros, vel ideo non eſt mirandum, quod

 ſtudia

ſtudia iſta, quæ alga videbantur quondam viliora, d) jam honorata eſſe dudum cœperunt. Itaque cum GENTIVS non exquiſitas ambiguitates, de quibus GELLIVS, ſed literas Latinas, Græcas, Hebræas, Chaldæas, Syras & inprimis Arabicas amaret, Bremam eodem anno exeunte profectus eſt & diſciplinæ virorum in omni literaturæ genere peritiſſimorum LVDOVICI CROCII Illuſtris Gymnaſii Bremenſis Inſpectoris, BALTHASARIS WILLII, GERHARDI DE NEUFUILLE & CONRADI BER-

d) Ineunte ſuperiori ſeculo linguarum orientalium ſtudia, quæ contemta atque abjecta in academiis etiam jacuerant, florere cœperunt, ſed non ubivis locorum, cum enim Stephanus Hubertus Medicus Aurelianenſis in Regio auditorio Pariſiis diſerte de lingua Arabica peroraret anno MDC. inter pleroſque res inaudita erat. conf. præf. Jo. Bapt. du Vall ad Diction. Latino-Arabicum Davidis Regis Pariſ. 1632. 4. Sed annis inſequentibus ad noſtra uſque tempora plures in orientalibus literis promovendis acerrime contenderunt. De contemtu linguarum orientalium in academiis ſuperiori ſeculo legi poteſt Jo. Henr. Hottingeri Oratio, quam Profeſſionem Heidelbergenſem auſpicaturus habuit, extat ea in Smegmate Orientali. L. I. C. II.

BERGII se tradidit. e) *Vixit autem a IV. Nov. anni* MDCXXXVI. *in disciplina nostra*, sunt verba eruditissimi CROCII, f) *præceptorum delicium, æqualium eorundemque studiorum consecraneorum amor.* Biennio effluxo Noster Scholis Nonis Junii valedixit, & præceptoribus certatim ipsi adclamantibus:

Macte nova virtute, puer, sic itur ad astra. g) ad majorem ingenii cultum capessendum viam in Academias sibi paravit.

IV.

Arabicæ cumprimis linguæ, quæ inter Orientis linguas ob MSta omnis generis eruditione referta h) & usum amplissi-

e) De quibus viris totius eruditionis callentissimis vid. Diderici Sagittarii inter tres Orationes junctim editas ultimam, de scholæ Bremensis Natalitiis, progressu & incremento, Bremæ. 1684. 4. p. 148. seq.

f) in Testimonio, quod nomine Pro-Rectoris & Professorum illustris scholæ Bremensis nostro abeunti dedit.

g) Virgilius Æneid. lib. IX. v. 641.

h) De Arabum studiis data opera egit Jo. Henr. Hottingerus in Ἀρχαιολογίᾳ orientali, Cap. IV, cui hoc tamen addimus, Arabes sicuti Romanos maximam eruditionis suæ partem ex Græcorum volumi-

mum i) maxime a plerisque commendabatur, condiſcendæ deſiderio, quo flagrabat,

luminibus hauſiſſe; quam ſententiam, aliis adſtipulantibus, ſuam fecit William Wottons in Reflexions upon ancient and modern Learning, Lond. 1697. 8. ubi, quando de Arabum eruditione judicat, ita pergit: *So that when afterwards they translated the Grecian Learning into their own Language, they had but littie of their own, which was not taken from thase fountains.*

i) De uſu linguæ Arabicæ univerſum fere in orbem divulgato nos dubitare, haud patitur Jo. Melch. Maderus Erpenii fortaſſis aliorumque, qui Orientem viderunt, teſtimoniis innixus in Orat. pro lingua Arabica, Auguſtæ Vindel. 1617. 4. *Omnis*, inquiens, *Aſia*, *Africa, omnis India, quædam Europa Arabs eſt. Nam vel in uſu vulgari obtinet lingua Arabica, ut apud Mauros, Numidas, Ægyptios, Arabes, Palæſtinos, Syros, alios; vel privato inter doctos, publico in Eccleſia & foro; ut apud Turcas, Perſas, Tartaros, Indos, alios Muhammediſtas, qui quamvis aliam maternam invicem loquantur, religione tamen Muhammedis ad hanc excolendam adiguntur, adeo, ut non urbes, non pagum, vix domum, in qua non Arabem reperias.* conferantur ſimul Brianus Waltonus in Diſſ. de Linguis orientalibus §. 42. & 43. & J. C. Becmannus in Hiſt. Orbis Terrarum, c. IX. Sect. III. §. 8. Sed ſententiæ huic aliqua ex parte contradicere videtur in epiſtola ad Jonam Schrimpffium Henricus de

bat, summo Noster accensus celeberrimam Lugduno-Batavam Academiam petiit, quae DAN. HEINSIO encomia distribuente, k) Palladis delubrum tum temporis fuit, & in qua linguarum orientalium studia fuerunt florentissima, utpote quarum antistites celluerunt ante alios. Quos in quavis scientia ibi doctores selegerit, id quidem nescimus, hoc tamen

de Poser, qui Turcicum & Persicum imperium peragravit & biennium in ipsa Regia urbe *Ispahan* commoratus est. vid. Frid. Lucae *Schlesiens curieuse Denckwürdigkeiten.* p. 1768. verba, prout in epistola leguntur, adscribam: *Die Arabische Sprache, ob zwar viel darinnen geschrieben, wird dennoch in communi loquendi usu nicht sehr, außer in etlichen Provintzien gebrauchet, Chaldaea, Syriaca unter denen allergelehrtesten und auf den Universitaeten, aber Türckische und Persische Sprache dienen hohen Potentaten wegen ihres weitschweiffigen Gebrauchs. Wenn demnach der Herr dem Gentio schreiben wird, wolle er ihme rathen, sich zu befleißigen der Türckischen, welche durch gantz Persien neben der ihrigen gebraucht wird, und der Persischen Sprache, welche nicht allein durch gantz Persien, sondern in Ost-Indien in vier Königreichen, als des grossen Mogols und der Könige Nisuni Schah, Edel Schah und Kottub Schah gebrauchet wird, und zu Hoffe gemein ist, unter denen leztern dreyen hält der erste zu Kircky, der andere zu Phisiapur, der dritte zu Gulkunde Hoff.*

k) in Orationibus p. 3.

tamen ex literarum monumentis edocemur, GENTIVM DANIELI HEINSIO & LVDOVICO de DIEV Viris πολυμαθεςάτοις nec non JACOBO GOLIO, qui tempore illo familiam in literis orientalibus, judice HOTTINGERO, l) duxit, semper adhæsisse. Inprimis vero ipse incomparabilem CONSTANTINVM L' EMPEREVR ab Oppick & WILLHELMVM CODDÆVM præceptores summa cum laude dicit, m) qui totius orientis peritissimi viri Nostri ingenium, quod natura ad linguarum orientalium studium proclivius esse videbatur, omnibus itidem linguis & doctrinis expolire potuerunt. Peculiari præterea inRabbinorum lectione promtius assequenda usus est opera R. MENASSE BEN ISRAELIS, n) qui diu Amstelodami commora-

l) in Historiæ Orientalis dedicatione.

m) in Præfatione Historiæ Judaicæ MSta, quam cum Dedicatione ad Anslonium destinata Constantinopoli exaravit, Anslonio autem mortuo postea mutavit.

n) Ex eadem præfatione cognoscimus, hic Judæus erat cæteroquin natione Hispanus, & præter patriam, anglicam, latinam &c. linguas, in quibus doctus fuit, arabice quoque calluit. In eo pro gentis suæ occæcatæ more desipiebat, quod simul cum

moratus libris docte conſcriptis nec non familiaritate cum eruditiſſimis illius ætatis viris, GROTIO, BARLÆO, o) VOSSIO p) &c. habuit, Noſtrum allexit, ut ipſum audiret, ejusque inſtitutionem publico deinde prædicaret encomio quam ſæpiſſime. Lugduni tres & quod excurrit,

cum R. Jacobo Ben Azahel atque Judæis Aſiaticis, an Cromwellius ſit promiſſus & a patribus expectatus Meſſias? quærebat. conf. Tract. Cromwellius Leo ex tribu Juda, & Ferd. Neoburgi *curieuſer Hoffmeiſter*. P. I. p. 730. Plura de eodem dabit Literaturæ Orientalis hodie princeps Summe Venerabilis D. Jo. Chriſto. Wolffius in Bibliotheca Hebr. P. I. n. 1463. ex qua nonnulla tanquam ex publico fonte cum venia ipſius paſſim hauſimus.

o) Ex MStis Gentii communicamus ſequens Epigramma Barlæi: In Quercum exucco ſtipite mediis in aquis naſcentem.

Adſpice, ab exucco tollit ſe ſtipite quercus,
Et medio veluti funere vita redit.
Iſta reſurgentis certiſſima ſymbola carnis
Suſpice, qui dubitas, talia poſſe Deum.

p) Voſſius commendavit Gentium Conſtantino L' Empereur, epiſtolam inter Voſſianas invenies n. 336. in qua eruditionem ejus atque modeſtiam laudat, Gentium vero in Magdeburgenſium dioeceſi natum nullam iſtarum Magdeb. centuriarum notitiam habuiſſe miratur. conf. Ittigii H. E. in Præf. p. IV.

rit, annos ad ſtudia gnaviter incubuit & quamvis infelici plaga patre ſuo eſſet orbatus, non tamen defuerunt alii, qui præclaram ejus indolem ſubſidiis ultro datis excitarent, operamque, quam in literis ponebat, prorſus inſignem quocunque modo adjuvarent. Quo etiam tempore ipſe alios fundamenta Linguarum atque Matheſeos, in quibus longe verſatiſſimus erat, ſolerter docuit, inprimis quidam ÆNEAS MONCLAIDES L. A. M. & Med. D. Harlinga-Friſius Noſtrum, ut præceptorem ſuum cum tenerrimo in literis adlocutus eſt affectu. q)

V.

q) Quarum unam adjungimus.

Reverendo, Clariſſimo, incredibili linguarum, rerumque Orientalium ſcientia ornatiſſimo Viro, Conſtantinopoli poſt multam expectationem reduci, Præceptori quondam ſuo, ſempiternum colendo, Georgio Gentio Æneas Monclaides

S. P. D.

Celeberrime Vir. Hodie literas a Clariſſ. Junio accepi, quibus ſignificat, Te ante octiduum mihi de Tuo in Belgium reditu perſcripſiſſe. Quæ Harlingam delatæ, hinc ad Portum Theſſalicum tranſmiſſæ nondum ad me Harlingæ morantem devenerunt. Salvum Te rediiſſe magnopere me delectat. Nunc nobis vera lux ad ſcientias orientales affulſit. Hoc enim pacto Te appellat Clariſſ. Junius,

V.

Cum itaque GENTIVS brevi temporis ſpatio ampliſſimam linguæ Arabicæ, Tur-

nius. Non Te fugit me ſtudiorum primordia ſub Te didiciſſe. Cujus recordatione factum, ut me Tibi totum devinctum ſemper exiſtimaverim. Neque longinqui itineris intervallum memoriam Tui in me delere potuit, obverſanti animo meo nominis Tui fama. Centies de Te inquiſivi, vitam Tuam ac ſalutem æque cordi habens ac meam. Quanta vero cupido Tui videndi colloquendique animum meum poſſederit, vix enarres. Imo mihi easdem, unde Tu redux, terras inviſuro magno ſolatio fuit ſpes Te compellandi, ſalutandique. Nunc autem iter meditans, unde Tu immenſam gloriam reportaſti, & fructus brevi feres, inopinato accipio, Te hac terrarum rediiſſe. Hoc autem acerbe doleo, literas primas adventus Tui ſignificatrices non protinus ad meas manus perveniſſe. Sic enim ad Te advolaſſem & itineris mei rationes de ore tuo rerum peritiſſimo hauſiſſem. Nunc vero temporis anguſtiæ ita urgent, ut mihi Amſtelodamum excurrere non liceat. Enimvero die Lunæ proximo ſtationem Theſſalonicam ſum petiturus, Martis die ſequenti itineri deſtinato. Fata mihi invidiſſe conſilii Tui commodum videntur, citra hoc non libens iter ingrediar, nec tamen Te coram frui licet. Nihil mihi reſtat, quam obnixe rogare, ut literis mihi conſilia ſuggerere velis, quæ ore non licet. Innata Tua bonitas, quam multis abhinc annis explora-

Turcicæ, atque Perſicæ facultatem adipiſceretur, ita, ut non modo intelligeret, verum etiam eleganter ſcriberet ac belle diceret, non potuit non fama de ejus doctrina ſtatim percrebreſcere. Et quod continuo optavit, ipſi præter opinionem contigit, ſcilicet, ut in comitatu r) Legati Turcici MVSTAPHÆ nomine ABRAHAMI ad præpotentes fœderatarum in Belgio provinciarum Ordines a novo Turcarum Imperatore IBRAHIMO s) miſſi terras Orien-

ploratam habui, hoc præſtiterit, ut vel per certos articulos recenſeat illa, quæ ad iter meum maximopere facere videbuntur. Largas gratias habebo, & ſi poteſtas ſit, referam. Literis quæſo me ante abitum bea. Vale, Vir honoratiſſime, & me amare velis: brevi denuo alias a me ante abitum meum expecta. Raptim. Harlingæ III. April. Calendarii Gregoriani, 1650.

r) Qua in re nos certiores reddidit Gentii Epiſtola dedicatoria ad Genebr. Anslonium ſcripta, & Hiſtoriæ Judaicæ, ſi manſiſſet in vivis Patronus, præfigenda.

s) Ex Gentii Hiſtoria MSta rerum in Ottomannico Imperio per ſeptennium geſtarum ſequentia, quæ ad hujus Ibraimi vitam & res geſtas pertinent, collegimus: Ibrahimo ſimplicis ingenio puero mater vitam a Murate precibus impetravit, qui alteros fratres occidere jubebat, quo deinde regi-

rientem versus sitas invisere potuerit. Lætus itaque iter subitum & longum Calen- B dis

regimini admoto, Magnus Vezirius Mustapha Bassa totum Imperium summa cum prudentia gubernavit, mater tamen & fœmellæ, quarum amoribus Sultanus ad plura facinora rapiebatur, illum exosum reddere & Ibraimo persuadere annitebantur, Mustapham thronum ipsum ambire. Ibrahimus convitiis statim invehebatur in Vezirium adeo, ut ensem illius corpori immittere vellet, sed Vezirius viribus robustus ei manum comprimebat, ut ensem ex manu dimittere cogeretur: Regem, inquiens, gravem, non levem esse decere. Cum vero Sultanum mentis dementia & morum asperitate plenum, omnibus medicamentis adhibitis, sanitati restituere haud possent, fœmellæ istæ Sultanum a spiritibus malis obsessum crediderunt; itaque quendam magum nomine Mehemet, (quem Singi malorum spirituum expulsorem dicunt, Zchin enim malum spiritum Arabice significat, inde Turcæ illos, qui absone loquuntur, intempestive rident & imprudenter agunt, spiritatos appellant) accersiverunt, qui sua falsa inter mulierculas persuasione ac fama id obtinuit, ut non tantum Regem eo præsente optime se habere crederent, sed etiam ille impostor non artis suæ, quæ certe nulla fuit, sed gratiæ, qua valebat apud Sultanum, caussa, omnibus Ministris dignitate præferretur; Ut taceam illum hominem, qui ab omnibus opibus imparatus Ibrahimum accesserat, intra sex annos plus quam octi-

cs

dis Maji anni MDCXLI. inceptum pridie Calendas Septembris ejusdem anni confe-
cit,

es centena millia Ducatorum accepiſſe. Hujus Zinſchi inſidiis tandem Muſtapha Baſſa vir recti conſcius, virtute clarus, virtuoſorum amans, ignavos repudians, ſtrangulatus eſt. Novus in hujus locum electus Vezirius magnificum convivium, quod ipſum pro officii ſui ratione die Feſti magni ſecundo quotannis facere oportet, Sultano apparabat. Hic, poſtquam cibum ac potum cum aviditate nimia ſumſerat, tapetes & pulvinaria conſpurcare incipit: Vezirius hujus moris Regii neſcius cubiculariis: Noſter Rex, inquit, jam perfectus eſt, nullo enim morione opus habet. Eo ipſo tempore conſilia cum Sultani matre confert, quomodo ille ad ſaniorem mentem reduci poſſit? convocantur undique Medici, aliosque inter accedit Medicus caſtrenſis Apollonnius, homo artis peritus quidem, ſed moribus incognitus & converſatione nullus, hic ſententiam ſuam de curando Rege rogatus ſine omni verborum venuſtate dedit: Tu, o! Rex, ſtultus es, nec ullis medicaminibus curari poteris, quia ſine diſcrimine multa edis. Medicus alius Judæus animadvertens, Sultanum his verbis commotum omnibus Medicis minitari mortem, Medicorum more optime ſed non ſatis decore hæc prolata eſſe verba, ſtatim interſerit, ſententiam enim Appollonnii eo redire, Regem futurum eſſe ſalvum, ſi, quæcunque vellet, edere ac bibere, & quo deſideraret, exire poſſet. Qua verborum explica-

cit, & migratione per Poloniam instituta tandem Constantinopolim perlatus est. Heic primum in ædibus & sub protectione Prolegati fœderatarum in Belgio provinciarum HENRICI COPSII t) vixit. Tristissima illorum temporum in Oriente erat facies, siquidem dirissima pestilentia non tantum per Thraciam, sed etiam universum Turcarum imperium vehementissime grassabatur. Quæ vero lues postquam desæviit, GENTIVS noster non dememinit, quæ ipsi fuerit causa novam videndi Romam. Non igitur tantum Imperatoris Turcici Bibliothecas & κειμήλια literaria, quæ non omnibus promiscue patent exteris, sui Mustaphæ intercessione vidit, qua occasio-

 ne

plicatione subministrata & insulso Medico Sultani gratiam & sibi omnibus vitam conservavit. Plura de Ibrahimi bello cum Venetis suscepto invenies in Jacobi Strukhusens Syntagm. Historiæ Saraceno-Turcicæ p. 264.

t) Henrici Cops, ex Cornelii Haga Ser. Reipublicæ Fœderati Belgii Oratoris Sorore Nepotis, qui interim Constantinopoli hujus partes peregit, meminit Ravius, qui sicuti Gentius in Copsii ædibus vixit. vid. Christi. Ravii Panegyr. II. in Dedic. ad Haga.

ne oblata exemplo GOLII u) multa rariora deſcripſit & *in Hiſtoricorum & Geographorum ſcripta aut ignorata adhuc aut involuta ſe ingurgitavit*, verum etiam rationes & utilitates ſtatus, cum ſingularis ipſi amicitia cum legatis Chriſtianis intercederet, penitus intellexit ac didicit. Literas commutavit Conſtantinopoli cum METROPHANE Alexandriæ antiſtite, qui ſua eruditione magnam in terris iſtis gloriam conſecutus circa annum MDCXLIII. exceſſit. Maximam quidem temporis partem GENTIVS noſter Conſtantinopoli tranſegit; quandoque tamen ad alias Græciæ regiones, prout occaſio ipſi data fuit, ſique ex literis nonnullis & præfatione ad Roſarium recte conjicimus, in Perſiam quoque excurrit. Ex eruditiſſimorum Eccleſiæ Græcæ antiſtitum, quibus in deliciis fuit, ore & quotidiano uſu avide apprehendit id, in quo ſcientiarum orientalium cardo verſabatur, & ex manuductione ſingulari quorundam captivorum Oratorum ea, quæ

u) v. *Abregé de l' Hiſtoire de Scavans.* p. 253. & Gronovii Orationem funebr. Golio dictam p. 18. inde Bælius in Dict. Hiſt. & Critico: He met with Turks, who gave him Leave to ſearch into fine Libraries. Qua venia uſus maximum Orientalium MStorum cumulum in Belgium attulit.

quæ ad linguarum orientalium commendationem pertinere videbantur, diſcere ac excolere ſtuduit. Vbi otium ipſi ſupererat, etiam ad amicos ſuos literas & ſcripta erudita, de quibus deinde dicemus, exarabat. Inprimis GENEBRANDI ANSLONII, qui Bibliothecam rariſſimis MStis orientalibus inſtructiſſimam x) a GENTIO libris ex Turcia miſſis inſigniter auctam poſſidebat, favor ipſi conſervandus erat, quamdiu enim hic vivebat, noſterque ejus patrocinio ac benignitate fruebatur, tamdiu res GENTII in optimo videbantur eſſe ſtatu, quo autem mortuo, anxie per literas ab amicis ſuis petebat, ut in Belgæ hujus defuncti locum alium ſibi Mæcenatem redderent. Noſtro enim mœſto obitus nuntio adeo fuit perculſus, ut in graviſſimum morbum inciderit, quo quidem adhibitis medicorum conſiliis multas per ſeptimanas liberari non potuit. Neque tamen vana ipſi ſpes fuit in BOSWELLO Gentis Brittanicæ ad Belgicæ fœderatæ Proceres Oratore & PESSERIIS Roterodamenſibus mercatoribus, ſiquidem viri illi ingenti litera-

x) Catalogum MStorum Orient. in Biblioth. Anslonii quondam extantium invenimus inter Gentii reliquias.

terarum amore capti viros doctissimos vel potentioribus commendare vel ipsi fovere & ad honores deinde evehere consueverunt. Ad hos GENTIVS noster elegantissimas dedit literas, quas, licet sint prolixæ nimis, dignas tamen judicavimus, quæ imprimantur. y) Ex quibus scilicet videre licebit,

y) Ad *Boswellum:*

Illustris Vir

Hasce virtuti Tuæ offerunt insperatissimi studiorum casus, quibus Musæ meæ orientales in publicum Christiani orbis bonum & nomen per quinquennium hic cultæ sæpe turbatæ fuere, renitentibus virtuti ad summa grassanti temporibus. Germania nostra tot annorum cruentissimis bellis fessa nondum respirat. In Anglia vestra dominante hoc ferreo sæculo, erepta sunt studiis meis duo maxima præsidia Cantuariensis & Armachanus b. m. quorum consilio subsidioque subnixus Orientem adii; Mox & Belgium commune peregrinorum refugium, novercari cœpit, ablato amicissimo Amstelodami Anslonio, unica Musarum mearum anchora, qua tempestate amissa, veluti tristis navicula portum mœstus Mæcenatem quærere cœpi. Singulari tamen Dei munere alii surrexere benefacto, res præsertim Jo. Didericus Pesserius Roterodamensis ejusque filius, qui studiis mei obstetricari voluere. Quæso, Vir Magne, filium accersas, literisque traditis mea illi studia, patrique ipsius

cebit, quorum conſilio ſubſidiisque adjutus Noſter Orientem adiit. Cum vero ani-

 mum

ipſius per ipſum perque ſuos amicos apud ipſum Roterodami valentes, ſedulo commendes, ut ea beneficentia, qua cœpere porro in publicum Belgii decus conſervare pergant. Reverendumque Breſonem, Davidem de Willems Hagenſes, L'Empereur, Golium Leydenſes, præcipue vero egregium Virum Tui Nominis amantiſſimum Adrianum Junium Rectorem Amſtelodamenſem per literulas (ſi non iniquum fuerit, quod enixe rogo) ſedulo hortator, ut in promovenda ſtudia mea connixi, diligenter exequantur mea, quæ literæ ferunt, deſideria. Tu, Vir Magne, qui contra Magnatum morem literarum amorem gloriamque habes, nequaquam illarum Tuique deeſſe volueris cultori. Quo ipſo me Tuo nomini ſemper addictum porro addictiſſimum reddes. Hoc unum vero a ſplendido ingenio Tuo me impetraſſe, mihi magno ſolatio erit, ut ſcilicet projectas has flagitationes non meis moribus, ſed huic ferreo ſæculo, patriæ jam tot annos retro conquaſſatæ & exhauſtæ, imo patriis prædiis bis exuſtis adſcribere velis. Sunt hæc communia Chriſtiani orbis mala, quæ veſtra Anglia jam primum odorari cœptato magno ſuo damno, maloque aliis exemplo. Quæ enim rogo, renitente & invito plane animo rogo, ſed quid agam? cum mens ad majora elevata ab immenſo anguſtiarum pondere deprimatur, feliciſſimaque ſtudiorum meorum vela vehe-

men-

mum quavis literarum illarum voluptate ex-
pleret, ſtudiorum amore in paupertatem &
pau-

---

mentiſſimis iniquiſſimi ſæculi procellis ſæpe rupta, imo in avia & contraria, perinde ut ferrum a magnete rapta fuerint. De novis Byzantinis vix aliquid dicere auſim, cum Muſæ meæ antiquis potius, quam novis invigilent, ne tamen novitati videar infenſus, cumque nova temporis lapſu antiquitatis nomen induant, hæc quidem breviſſima ſed veriſſima accipias. Aſtra & elementa in Chriſtianorum hic legatos conjuraſſe videntur. Venetorum, jam quaſi per biennium, armis utrinque correptis, aula Turcico præſidiolo cincta detinetur. Prolegatus Imperatoris ante quinque menſes, confecto in ædibus ſuis quodam Hiſpano, mali in regem ſuum conſilii, cum ſuis in vincula raptus, ubi per bimeſtre vexatus tandem quindecies imperialibus evaſit. Moſcovorum legatus per integrum annum retentus fato conceſſit. Belgicus noſter D. Copſius ante bimeſtre ſolito hæmorrhoidum fluxu correptus, mox natum ex pravo ſanguine circa hæmorrhoidas confluente ulcus, quod in cancrum verſum diſcordi medicorum conſilio uſtum, virum intra triduum extinxit. Atrox cum Venetis bellum etiamnum gliſcit, implacabili Imperatoris Turcici animo. Nuper Turcica claſſis navim quandam Venetam circa Inſulam Andrum aggreſſa, ſed duce ſuo, id eſt Theſſalarcha, globo peremto, elabentibus Venetorum ex inſidiis triremibus, retroceſſit levem injuriam paſſa. Jam novo vere

pauperiem summam fere incidisset. Etenim COPSIVS, in cujus ædibus degebat GEN-

---

vo vere nova mittuntur in Insulam auxilia, expugnandis Cretæ reliquiis, utrum fortuna addixerit tempus, futurorum magister docebit utilissimus. Tu, vir Illustris bene vale & salve

a Tuo Nomini

Dab. Byzantii,
an. 44.

addictissimo
Georgio Gentio.

Ad Pesserium jun.

Clarissime & Amantissime Pesleri,

Mirum, quod postquam in Belgium es pervectus nullas mihi reddidisti literas, neque pater tuus: nolim de animo vestro dubitare benevolo, qui benefacere voluistis Musis meis liberaliter: Sed solet fieri, ut fortassis magna vestra negotia non permittant; Quapropter his obturbo, etiam atque etiam rogans, ne antiquam obliteres amicitiam, sed ut mei memor patrem commoveas, ut ea, qua cœpit beneficentia studia mea in publicum Belgii nomen evehere velit. Certe rem gratam toti Christiano orbi præstiterit, mihi vero immortale beneficium. Tu qui peregrinatus in his partibus satis nosti, quam durum sit cum locupleti pecunia vivere, quam itaque durum erit in inopia. Tanto flagro studiorum incendio & amore, ut nisi ad culmen pervenero summum, vela

TIVS, multorum heic odium imo omnium magnorum in ſe concitaverat, infima plebis

contrahere nequeam. Animus eſt ſubire omnia, inopiam, pauperiem, frigus & æſtum, propter virtutem, tu qui me ipſum hic vidiſti & probaſti, ſi tantum efficere poſſis apud patrem, ut quantulumcunque etiam fuerit, annuatim Muſis meis ſubminiſtrare velit, immortale mihi beneficium præſtiterit, ſemper rependendum; Exanimis dolore in propria anguſtia mea plura ſcribere nequeo, tædet etiam & pudet me flagitationis & honoris mei, ſed ignoſcas tu iniquitati temporum, quæ me urget. Germania enim noſtra tot annorum cruentiſſimis bellis feſſa nondum reſpirat. Quid itaque agam, Te amiciſſimum conſulo? De libris Tuis nullum mihi dediſti reſponſum, biennium eſt, ex quibus illos transmiſi Amſtelodamum, tradendos Tibi per D. Junium, quæſo me certiorem fac acceperisne? Cæterum vale, & ſalve cum tuo Cariſſ. patre & me juvare perge

Byzantii, 21. Martii 47.

Tibi
addictiſſimum
G. Gentium.

Huc etiam pertinet epiſtola ad incomparabilem Ger. Jo. Voſſium ſcripta ejusdem argumenti, in qua ſimul rogat, ut a Societate Indica literæ commendatitiæ ad Ind. Orientalis Rectores ſibi procurentur, cum Perſidem petere inſtitueret, vide Cl. virorum ad Voſſium Epiſt. CDVI. quas edidit

plebis fece ad se allecta. GENTIVS, qui cum hoc perinde ut germanus vixerat, plura,

edidit cum Vossianis & dodecate Epist. Geo. Hier. Welschii Adiel Mills in fol.

Ad Pesserium sen.

S. P. Reverende, & Clarissime Vir, amicorum carissime.

Mœsta totius terrarum orbis est facies, ferale Martis incendium ubique ardescit & grassatur, cujus fama consternit pacificos, flamma cives militesque absumit. Metraphanis, quem desideras, sola superat gloria, Alexandriæ, cujus loci Antistes fuit, ante aliquot annos excessit. Multos hic habeo Ecclesiæ Græcæ antistites mihi amicos, quibus in delitio esse soleo. Si quid velis, non tantum me, sed ipsos etiam paratissimos habebis. Spem feceras mihi, Te operam daturum, ut in Belgæ defuncti locum fautorem mihi sufficere possis, sed nescio, utrum aliquid factum fuerit, Te ex eo tempore vel tacente vel literis Tuis ad me non perlatis, turbato literarum commercio, hoc est, florentissima Venetorum republica. Maximas tamen benevolentiæ Tuæ debeo habeoque gratias, etiam atque etiam rogans, Vir Magne, ut festines bona, quæ agitas consilia, Deo grata, Christiano orbi utilia, Tibi Tuisque quondam gloriosa, excusabit singularis Tua pietas ingratiores nostras literas, meam quippe importunitatem haud male comparavero illis, qui naufragium passi, undisque obruti impor-

ra, quæ ille audebat temerarie, in viri iſtius bonum & Belgii decus conſultius diſſuadebat. At hic *non omnino virtute ſua, ſed*

---

importunius clamoſiusque opem implorant, notos ignotos acclamant: eruti vero caſus gravitatem, morum importunitatem excuſant, æternasque gratias pro beneficio reddunt. Mæcenatem ſi inveneris, mihi propere tantum fidei literas mittat ſe redditurum quotannis (100. aut 150. Imp.) prout libuerit, Venetiis per aliquem mercatorem, quem nominet. Ad quem quoque ſedulo ſcribat, ut viſis meis Cambii literis ex mercatorum more liberet. Turbata vero jam Republica illa, commodius conſultiusque erit Viennæ mercatorem ordinare, qui idem faciat; hic mihi ſatis fidei eſt & ſingularis amicitia cum legato Imperatoris, ut poſſim æs accipere, modo ordinatus Viennæ mercator mihi ſcribat, ſe redditurum ibidem æs. Sed cum tenuis ſit ſumma & hic res mercatorum ſplendidæ, conſultum erit famæ noſtræ parcere, illisque indicare, Viennenſi & Veneto ſcilicet non eſſe ſubſidium ſed alicujus rei pretium, quotannis hic per me pendendum, alioquin ex levi ſubſidio mercatores avarum plerumque hominum genus, leves æſtimant illos, quibus mittitur, literas æsque ſine cura habent, ut factum cum 120. Imp. quos per integrum annum fere Veneti retinuerunt, & quæſtum ſuum fecere. Hisce bene geſtis Muſas noſtras reficies, faciesque, ut Te maximum virum, poſteros Tuos & omnes amicos omnibus grati animi officiis proſequamur æternumque colamus. De Perſa-

ſed artibus temerariis, ſunt verba GENTII, *ad ſumma aſcendere cupiebat;* quod noſter animadvertens maluit illum vitare, quam paria cum eodem conſilia & ſibi & aliis inimica capere. Anno itaque ſuperioris ſeculi quadrageſimo quinto a COPSII conſortio ſegregatus ſtudia ſua apud maximos viros inter Turcas tractare cœpit, ne fortaſſis in ædibus COPSII ſe exoſum principibus redderet & vitæ periculum incurreret. Quia vero cum omnibus, ut ſolitus erat, ſemper verſabatur, quorum & aliqui inimici fuerunt COPSII, atque hic videbat, GENTIVM facta ſua non collaudare, noſtrum in ſuſpicionem rapuit. Nihilominus noſter illud, quod rectum & juſtum, agere conſtanter inſtitit; attamen, ne fortaſſis occaſionem ſuſpicandi majorem daret,

Perſarum ingenio ſcriptisque ſtupor non permittit, ut aliquid transmittam, modo adfuerit Tuum ad has reſponſum, reapſe multa videbis, ne ulterius verba ſed facta in aciem producamus. Vale amantiſſime & cariſſime virorum, amare & promovere perge rem communem quæ adminiſtratur per

D. Conſt. in ædibus
prolegati Belgici,
10. Julii an. 45.

Tibi devinctiſſimum Te
Tuosque ſemper omnibus
officiis colentem
G. G.

ret, apud præceptorem ſuum, quem per triennium jam coluerat, virum, laudante GENTIO, facile maximum habitare cœpit & COPSII ædes die Dominica quavis adiit. Sed invaleſcentibus inimicis illius aſſeclis ipſe COPSIVS vindictam apparavit, & GENTIO, quod cum aliquibus commercium haberet, infenſus eſſe occœpit, ſtatim etiam inhibuit, ne iſtos viſitaret, imo, ut priſtinum in ejus ædibus domicilium inhabitaret, coëgit. Vario tunc periculo etiam vitæ expoſitus, COPSIO ubique exoſo & liti graviſſimæ cum Angliæ Legato implicito, in ædibus Legati manſit uſque ad finem vitæ, quem vehementiſſimi hæmorrhoidum dolores COPSIO attulerunt. Quo tempore ad ſtudia liberalius pertractanda noſtro redire permiſſum fuit, quæ etiam omni animi contentione poſthac perſecutus eſt, eaque præter in addiſcenda Medicamentorum orientalium compoſitione z) ac ra-

z) Saluberrima ab Arabibus inventa & multo uſu probata eſſe, remedia illi, qui hujus artis ſolidiorem adepti ſunt cognitionem, affirmant, & teſtes adlegant oculatos, Erpenium in Orat. de Lingua Arabica p. 32. & 57. & Ravium Panegyr. I. p. 35. II. p. 19. quinimo Guſt. Pering. Lillieblad in Hiſtor. linguæ & Eruditionis Arabicæ. Vpſal. 1694. p. 97. ex Eraſto de cauſis Medicinæ p. 99. confirmat, quod

ac rarioribus hujus terræ conquirendis rebus, e.g. Vaſculis, quæ porcellanam vocant, operæ plurimum temporisque conſumſit. Fuerunt autem præter illos, qui in Epiſtola ad Boswellum memorantur, adhuc alii, qui favore, amore & donis vere regiis ipſum in Oriente fovebant, de quibus infra magis idoneus dicendi locus nobis relinquetur.

VI.

Poſtquam igitur GENTIVS ſeptennium laudabiliter in Oriente conſumpſerat, & præter linguas Arabicam, Turcicam & Perſicam, magnam reconditæ doctrinæ ſuppellectilem acquiſiverat, multasque ſimul in peregrinis terris devoraverat moleſtias,

quod Arabibus ingenioſiſſimis & doctisſimis reſtitutio Medicinæ in Europa debeatur. Cætera ego non dijudicare auſim, an vere pronunciaverit *de Vigneul-Marville dans les Melanges d' Hiſtoire & de Litterature* p. 266. ſeq. Orientem optima medicamenta proferre, ſed pesſimos alere Medicos, cum ex adverſo Occidens non quidem tam ſalubria produceret remedia, optimis tamen abundaret Medicis. Affirmant hoc nonnulli, qui Arabes Anatomiæ imperitos eſſe ſciunt, ſiquidem ſectionem corporis humani adgredi religione ſua prohibentur. v. Andr. Otton. Gœlicke Hiſt. Anatomiæ p. 42. §. 46.

lestias, lætus in patriam tanquam Vlysses ad Ithacæ suæ saxa properavit. Atvero singulare de GENTII beneficentia erga alios documentum antea sum enarraturus, quam illam de ejus reditu historiam persequar. NICOLAVS COCHIVS Hamburgensis, naucleri filius simul cum navi a Turcis interceptus, atque in captivitatem abductus erat. Hic octodecim annorum puer juventute & optimis moribus Magno Vezirio adeo placebat, ut in hujus aula non solum educaretur, verum magni etiam ab omnibus æstimaretur; Supremus enim ille imperii Turcici minister spem fovebat, fore, ut aliquando Mahummedanam fidem, religionemque amplecteretur; Qua de causa COCHIVS ille inter ejus cubicularios adscitus, capillis in capitis summo amputatis, mitra & veste Turcica induebatur. Hunc GENTIVS primo per medicum quendam nomine CRASSO Magni Vezirii archiatrum Christi nomen profitentem in fide sanctissima confirmavit, deinde, intercedentibus aliis potentioribus & ducentis thaleris Turcæ cuidam solutis, e palatio Vezirii in domum illius Turcæ abduci curavit, qui juvenem simulabat, a se ut captivum suum fuisse emptum. Cum vero hæc res Turcæ illi nihilosecius periculi plena

esse

esse videretur, juvenem Græcorum & Armenicorum Christianorum inter familias abdidit, usque dum Vezirius temporis longinquitate pueri obliviscebatur, & tum demum in domicilio suo occultavit per aliquot menses, victuque suo & amictu aluit; Hunc deinde GENTIVS, convivio a se in navi instituto, clam inter eos, qui sibi erant a servitiis, extra urbis pomœria in navem Belgicam cum magno suæ libertati inde metuendo discrimine deduxit, qua etiam salvus & incolumis Hamburgum perlatus est. Juvenis non ingratus, nec tanti beneficii immemor GENTIO per Hamburgum ad Batavos an. MDCL. transeunti munuscula quædam præbuit.

VII.

Vt tandem ex diverticulo nostro ad ea, quibus GENTIVS suum in patriam parabat reditum, tempora revertamur, commemoranda sunt nobis ista, quibus GENTIVS a Viris gravissimis ornabatur, testimonia. Tantum enim abest, ut res currentis ævi hominibus ignotæ, quamvis præclaræ per se semper placeant, ut potius, nisi laudatorum Virorum laudibus dignitatem simul adsciscant, contemptui sine ratione habeantur. GENTIVS itaque ne tale quippiam sibi eveniret, cum orientali-

um literas hactenus fere ſepultas aliis præeuntibus in lucem reduceret, teſtimoniis rariorem ejus eruditionem vitæque rationem comprobantibus ſe inſtrui curavit. Legati proinde, tum Imperatoris Romani ALEXANDER GREIFFENCLAV *de* VOLRAT, a) tum Angliæ Regis SACKVILE

a) Erat Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris Appellationum in Regno Bohemiæ & Sileſiacæ Cameræ Conſiliarius, quem, miror, notitiam fugiſſe Jo. Maximiliani Humbrachti *in der höchſten Zierde Teutſchlandes oder Stamm-Taffeln der Reichs Freyen und unmittelbaren Ritterſchafft am Rhein von denen Freyherren von Greiffenclau von Volrat nach und nach vermehret. Francof. ad Mœn. 1707.* in quibus Stemma Genealogicum horum Dominorum de Greiffenclau duabus Tabb. deductum legitur, ſed ne verbulo quidem Alexandri mentio fit. Verba teſtimonii hæc ſunt. „Atteſtamur his li„teris noſtris patentibus, quod Dominus Georgius „Gentius Saxo-Germanus hucusque per ſexenni„um in addiſcendis linguis orientalibus Conſtanti„nopoli commoratus non tantum aſſiduo & inde„feſſo ſtudio ſcientiam earum liguarum, ſed etiam „prudenti cum primariis & eruditis Turcis con„verſatione nullam labem inferri paſſus, communi„ter omnibus, ſed præſertim bonis & gravibus vi„ris optime ſe comprobavit. Et ſuos quidem la„bores ad commodum Reipublicæ Chriſtianæ fe„liciter

VILE CROW, b) quos ſtudioſe nunquam non colueràt, literis ſuis patentibus viam
C 2 ipſi

„liciter applicabit, cum non tantum varia doctri-„na, religionis & morum incorrupta firmitudo „(quod eſt exempli rariſſimi) ſed hoc etiam laudes „ipſius quam maxime cumulare debeat, quod in „ſcientia linguarum orientalium nominatim quo-„que linguæ Hebraicæ, ut ab Hebræorum, Turca-„rum aliorumque virorum doctiſſimis intelleximus, „& a publica fama cognovimus, nullus unquam in „his terris ex Chriſtianitate ſtudentium hæc idio-„mata tam bene & accurate quam Dominus Gen-„tius addidicerit. --- D. Peræ Conſtantinopoli die „7. Januarii A. C. 1648. Stilo Romano.

b) Hujus Angli L. B. teſtimonia cum priori conveniunt:

„Partendo da queſta Citta il Sigre Giorgio Gentio „gentilhuomo fiamengho & per eſſer paſſato a „meglior vita il Sigre Agente d' Hollanda ſotta „la cui protettione giá fú, volendo detto S. Gior-„gio horá ritornaſſene alla Patria, & rie crando da „Noi il Nro: Paſſaporto hauendoli conoſciuto vi-„vere quí ciuilm: te & con ogni modeſtia, appli-„candoſi ſolamente come litterato & affaticandoſi „nell' acquiſto delli linguagii orientali (per qual fi-„ne già alcuni Anni giunſe qui) conoſcendoli eſſer „huomo temperato, diſcreto, & di buon gouerno, „habbiamo ſtimato conveneuole d' accompagnarlo &c. Et in ſecundo teſtimonio: „il ſudetto Sigre Gior-„gio Gentio há fatto per tutto ill tempo un hone-„ſta

ipſi reddiderunt ſatis tutam ac Noſtri ſtudia abunde prædicaverunt; aliosque inter MOSES ABEN YACAR progreſſus in linguis orientalibus ultra ſeculum a noſtro factos prolixiſſime atteſtatus eſt. Anno MDCXLVIII. Conſtantinopoli diſcedebat, an vero, ſicuti Lexici univerſalis, quod JO. FRANCISCI BVDDEI nomine appellatur, & Lexici Eruditorum Collectores ſcribunt, literis commendatitiis a Summo Turcarum Sacerdote (*Muffti*) ad Imperatorem FERDINANDVM III. ſcriptis inſtructus in Cæſarei legati comitatu in Germaniam reverſus ſit, idipſum ex literarum monumentis non omnino colligere poſſumus. Siquidem Reſidens Cæſareus GREIFFENCLAVIVS eo ipſo anno Peræ Conſtantinopoli repentine mortuus eſt, ut ex epiſtola GENTII ad JONAM SCHRIMPFFIVM

„ſta vita, ſobria & di buon Chriſtiano, & conſeruatoſi nella ſtima é buon' opinione non ſolamente „delli Miniſtri Publice, qui, ma etiandio d' ogni „un' altro dicta conditione, ò qualitá ſi ſia, con li „quali, ha conuerſato ſempre applicandoſe con„ſtantem: te & dilligentem: te alli ſui ſtudii, ſenzo „interporſi ó ingerirſi nelli affari altrui; & hauendo „egli con la ſua ſtrasordinaria dilligenza ottenuto „buona perfettione nelle ſcienze, alle quali Egli fu „diſſegnato.

FIVM eo tempore data c) intelligitur. Hoc interim certum eſt quam quod certiſſimum,

C 3 GEN-

c) Schrimpffius Saxonis apud aulam Cæſaream Viennæ Reſidens Greiffenclaui ex vita diſceſſum impenſe dolet: quam mallem, inquiens, eum in Germania noſtra adhuc ſemel vidiſſe; Sed ita ſunt rerum humanarum fallaces & dubiæ vices, ut citius eveniant; quæ non, quam quæ ſperantur,

- - - *& mors ſola fatetur,*
Quantula ſint hominum corpuſcula.

Sit ipſi bono Domino de Greiffenclau terra levis & iſtius anima in benedictione. Cæterum

Non moritur, quem vita probat, quem clarus in orbe
Virtutum commendat Amor, cui nobile nomen
Et longæva dabit vivacem gloria famam.

Cum vero de Jona Schrimpffio non adeo multa legantur, quæ in D. Matthiæ Zimmermanni Dedicatione Florileg. Philolog. Hiſtorici ad eundem directa in ejus laudem dicuntur, adfero: *Fides, virtus; ſolertia Nob. Schrimpffi a tot jam luſtris tribus Elect. Saxon. probata, in tantum, ut non modo olim, ſed & hodie Canos Tuos gratioſe excipiat Enſifer Saxo. Amore, favore & patrocinio Tuo fruor jam abhinc an.* 1644. *Ad Academias enim excurſurus* (erat Zimmermannus Hungarus & quidem Eperienſis) *& Viennæ Te ſalutans*, (itaque jam tum temporis Saxonici Reſidentis vel Agentis, ut ita loquar, munia obiit) *voto Tuo & Calido omnigenæ felicitatis bonis avibus ire juſſus ſum, quem adhuc tantis officiis juviſti,*

GENTIVM ex Oriente reducem primo Venetiarum oris anno MDCLIX. menſe Auguſto appuliſſe, qua in urbe ſua officia Venetias modo advenienti Principi LVDOVICO Landgravio Haſſiæ, Electoris Saxoniæ GEORGII I. ex filia Nepoti ſubmiſſe obtulit. Inde LAVRETVM divitias theſauris Regiis majores viſurus abiit, ſed ſtatim reverſus aliquot per ſeptimanas Patavii in urbe illa academica, ſi quæ alia unquam in Italia extitit, tum præcipue ſtudiis florenti vixit, in qua JO. WESLINGIO Prof. Anatomices aliisque viris clariſſimis innoteſcere ſtuduit. d) Et tandem vario peregrina-

juviſti, ut totus ſuppudeam, me hactenus ἀντιδῶρε loco nihil repoſuiſſe. Raras ingenii Tui dotes me ſenium quidem remoratur, non imminuit, raro certe exemplo, curioſam Tuam literaturam præſertim circa rem nummariam & gemmariam exoſculor & in ſinum vel mellies gauderem oculis uſurpare. Hæc dedicatio ſcripta eſt an. 1687. & in titulo ſalutatur Primicerius Domus Auguſtæ Elect. Secret. admiſſionis. Præterea de Schrimpffio adnotamus, quod, ut ex iisdem ſupra allegatis literis intelligimus, uxoris ſuæ Parentis Hieron. Megiſeri MSta Turcica & Hiſtorica hæreditate acceperit.

d) Die 1. Octobris a Franciſco Ignatio Thirmair, Monacenſi Bavaro tunc temporis Conſiliario Nationis Germanicæ Patavii ſtudentis matriculæ

grinarum terrarum conſpectu delectatus in Germaniam & quidem Norimbergam menſe Novembri ejusdem anni venit, & DILLHERRO ſuo, qui tam larga & liberalia ipſi transmiſerat viatica, gratias cumulatiſſime retulit. Hic verus literatorum parens, hoc enim elogium ei eximius in literas favor vindicat, ſuam, qua in Gentium ferebatur, benevolentiam carmine latino publice oſtendebat, in quo an Gentio noſtro digniores laudes prætermiſerit, illi, qui ſuum literis orientalibus pretium ſtatuere, aliorumque virtutes rotundo ore eloqui didicerunt, melius judicabunt. e) Tunc tem-

culæ inſertus eſt, Georgio Chriſtiano Stoberlino Norimbergenſi Procuratoris officio t. t. fungente.

e) VIRO

MVLTIPLICI LINGVARVM EXOTICARVM COGNITIONE, RARA SOLIDISSIMAE ERVDITIONIS SCIENTIA, DEXTERRIMO RERVM GRAVISSIMARVM VSV AC INDEFESSO VIRTVTVM PVLCERRIMARVM STVDIO VERE NOBILI AC PRAECLARISSIMO

DN. GEORGIO GENTIO, GERMANO,

AMICO LONGE EXOPTATISSIMO

S. D.

Inclyta Progenies Superûm, Flos, Gloria, Lumen
Teutonici, urſerunt quod fata aſperrima, Regni!
Te quibus excipiam votis? qua voce ſalutem?

ecqui-

temporis Gentius Principi cuidam, qui ejus ſtudia ſimulque ipſum amaret, commendari cupiebat; DILLHERRVS itaque, qui cum VOCONIO, de quo PLINIVS, beneficia ſua mereri nullo modo melius poſſe, putabat, quam ſi augeantur, GENTIVM HIERONYMO IMHOFF, Aulæ Guel-

ecquibus exultantis alacria jubila mentis
indigitem ſignis? SALVE *Optatiſſime!* SALVE
ex Oriente redux, poſt ſeptem, ſalvus, ariſtas!
Multa peregrino ſub climate vidit Vlyſſes:
at mihi Tu potior, quovis Tu major Vlyſſe:
nam Te admirandum Pietas, atque aurea virtus,
& Doctrina choro celebri fecere Virorum.
Te veneratus ARABS, INDVS, JVDÆVS *apella,*
& Te Perſa fuit SVLTANI *amplexus in aula.*
Chriſtiadum Te LEGATI GERMANVS *&* ANGLVS,
ITALVS *&* GALLVS *magnifecere loquentem.*
Et quis non tantis encomia dotibus addat,
quantas vix noſtris inventas æſtumo ſeclis?
Et tamen has jactat tua ſancta Modeſtia nusquam:
Sed magis omne bonum bonitati mitis JOVÆ
attribuit, tribuitque ſuo mala ſola labori.
O GENTI! *gentis præluſtris adorea noſtræ*
Teutonicæ, innumeras famam protende per oras,
cum famaque ſimul vitæ irrevocabilis annos.
Ætherii vigiles vigilent Tibi! ſit Tibi turma
Cœlituum præſens! præſit Tibi cura Dynaſtæ
alti-

Guelpherbytensis Magistro splendidissimo commendatum ivit, ut scilicet eundem non ipse solum benigne admitteret, sed & eidem exoptatum ad gloriosissimum Principem AVGVSTVM pararet aditum. Hujus vero & inprimis Serenissimi Saxonum tum adhuc Principis JO. GEORGII II. gratia feliciter impetrata, Hamburgum eademque via ad Batavos perrexit, quos inter Amstelodamum locum suis ingenii ac diligentiæ fœtibus edendis satis opportunum delegit. Heic in ædibus & amplexu eximii Viri ADRIANI JVNII, Scholæ Latinæ Rectoris, summo cum eruditorum undiquaque terrarum literis ipsum compellantium plausu & laude vixit; Fama enim de omnis fere generis doctrinæ apparatu, quem in Europam secum attulerat, ad

altithroni, & longo incolumem Te sospitet ævo
grataque Posteritas referat merita optima GENTI!

Hoc æternæ amicitiæ Monumentum
L. M. Q. F.
Norimbergæ, anno CIↃIↃCIL.
Mens. Novembr.

JOHANNES MICHAEL DILHERRVS,
Ecclesiastes ad S. Sebaldi, Theol. & Phil. P. P. Gymnasii Director, Scholarum ac Beneficiariorum Inspector & Reipubl. Bibliothecarius.

omnium aures celeriter pervenerat, inprimis cum de variis & rariſſimis Arabum libellis luci publicæ ab ipſo donandis diceretur. Amſtelodami enim Roſarium Politicum MVSLADINI, de quo Cap. II. locuturi ſumus, prelo parabat; ſiquidem Belgarum opera & ingenio ad illud ſcriptum ex dignitate inſtruendum GENTIVM omnino uti oportebat, cum Noribergenſes artifices in alia potius tum impendentes laborem, typos Perſicos adornare nollent. Hæc res GENTIO noſtro negotii multum faceſſebat, quippe qui librum iſtum pretioſiſſimum & auro contra carum typis concinne fuſis Principis ſui & eruditorum aſpectu digniorem reddere, eo magis allaborabat, quo liberalius a Sereniſſimo Principe JO. GEORGIO II. ſumptus ſuppeditabantur, quoque liber vehementius Eruditorum deſideriis expectabatur. Non prætereundum jam erit ſilentio, GENTIVM ſub id tempus, cum annua ſexcentorum thalerorum ſtipendia ipſi a Principe laudatiſſimo promitterentur nec non Amſtelodami quotannis exſolverentur, novo itinere ad Perſas, Egyptios atque Indos excurrere in animum induxiſſe; atvero die poſt diem præterlapſo, GENTIVS, cum Roſarium vix lucem vidiſſet publicam, anno MDCLIII. menſe

Februa-

Februarii a Principe Dreſdam, ut quædam ejus negotia adminiſtraret, vocabatur. f) Atvero non prius, quam inſtituta ſua perfecerat, venia a Principe glorioſisſimo denuo impetrata, Dreſdam venit. Anno enim ad finem vergente quinquageſimo quinto ſuperioris ſeculi ex Belgio Lipſiam, FRISIISque ſalutatis, Dreſdam profectus eſt. Vbi,

f) Ita enim Henr. a Friſen Principis nomine, ad Gentium ſcripſit:

Sereniſſimus Princeps, qui ejus uſuram boni, quod ipſe ſibi proprium atque perpetuum mirifice expetit, Belgis, quibus te commodaſti adhuc, ultra invidens, de reditu tuo ſerio nunc tecum agerem, in mandatis mihi dedit. Dedit ille hoc biennium precibus tuis & cum reditum tibi prorogari ſemel iterumque ſtudia negotiaque illic tua poſtulare viderentur, non invitus hanc veniam roganti identidem conceſſit. Nunc idem propius te frui geſtit, nec injuriam facere autumat, ſi ſuum repetat tandem, quod ea lege amiſerat ſcilicet, uti rurſus ad ſe reverteretur ſimul, id repetere viſum foret. Vt verbo abſolvam, amice placet Ser. Pr. ſedetque immotum fixumque, te huc quamprimum reverti & præſentiæ tuæ facere copiam. Nihil itaque propius cenſeo, quam ut miſſis ambagibus cunctis vinculisque abruptis vela negotiorum tuorum contrahas, quantum potes, littusque legas, in portum ipſum, quem in Principis benignitate ac favore longe tutiſſimum certiſſimumque tibi paratum noſti, mox te recepturus.

Vbi, traditis jam antea Serenissimo Principi eruditionis exteros inter acquisitæ speciminibus atque obedientia animi sui ad Principis Tanti officia devotissimi submisse declarata, Consiliarii titulo cohonestatus omnibusque necessariis optime instructus rebus ad Belgas rursus est ablegatus ao. MDCLV. die X. Cal. Junii, ut exinde Orientem versus in loca longe remotiora contenderet. Cui etiam in Belgii oris adhuc commoranti Serenissimus Princeps in literis ad Ill. FRISIVM datis fausta quævis ita benigne apprecatus est, ut GENTIVS potuerit esse certus, se magnam ab ipso gratiam, demandatis bono auspicio gestis, initurum esse. At nescio, quæ rerum adversitas Nostrum in via retardaverit. Mihi quidem anno eodem ex Belgio ad aulam Dresdensem revocatus esse videtur, quippe cum tempore isto gravioribus negotiis adhibitus salarii particeps factus est, annoque hujus seculi quinquagesimo septimo insequenti cum Electore, ut ibi a secretis esset, Francofurtum ad Mœnum abiit.

VIII.

Ad illa nunc devenio tempora, quibus fortuna GENTIVM in amplissimo statu collocaverat; Plures ingenium Nostri agendis rebus publicisque negotiis expediundis

undis aptum jamdudum cognoverant, ita, ut ſine publico nomine æque ac officio diutius latere haud potuerit. Status Hollandiæ omnem ſibi dederant operam, ut GENTIVM ſuo Præfecto Generali Commerciorum, quibus in India Orientali cumprimis gaudent, adjungerent, quippe qui in Legationibus ad Perſicam aliasque Orientem verſus imperantium aulas obeundis quam optime posſit adhiberi; atvero GENTIVS renuit, propterea quod ſe ſuaque officia Principis, qui religionis ſuæ eſſet, jusſibus devovere maluit. Ideo in HARALDI APPELBONII, qui Svecorum in Batavis Orator erat, familiaritatem ſe inſinuavit, adeo, ut OXENSTIRNIO & CANTERSTEINIO Conſiliariis Regis Sueciæ eum diligentisſime commendaret, quo GENTIO aditus ad Regem Sueciæ CAROLVM GVSTAVVM redderetur facillimus, quinimo APPELBONIVS ad ipſum magnanimum Regem literas maximi ponderis ejus cauſa dedit, g) cum ſecundam ſui Roſarii Politici

g) In literis commendatitiis ab Appelbonio Gentii cauſa ad Potentiſſimum Regem Carolum Guſtavum miſſis, hæc verba leguntur: *Sintemahl er die Orientaliſchen Sprachen 7. Jahr lang in Türckey ſelbſt unter denen vornehmſten und gelehrteſten Türcken*

tici editionem huic Tanto nomini inſcriptam traderet. Quæſiverat GENTIVS jam antea gratiam CHRISTINÆ, quam JO. BLAEV, bibliopola celeberrimus, litteris ſupplicibus ad illam datis h) noſtro conciliare

cken und Arabern ex praxi ſtudieret, und das Gezeugniß hat, daß vor ihm nicht leicht jemand von denen occidentaliſchen Nationen zu gleicher Perfection in gemelten Sprachen kommen ſey; Dazu hat er auch eine groſſe Wiſſenſchafft der Weltſachen, der Intereſſen der Königreichen und Staten, und vornemlich der Commercien ſich dadurch acquiriret, daß er zu allerley Occaſionen und Contracten von Chriſten und Türcken vor Dollmetſcher iſt gebrauchet worden. Welches denn auch Uhrſache iſt, daß die Oſt-Indiſche Compagnie allhie viel gethan hat, ihn zu dero Dienſt zu bekommen, und ihren General in Oſt-Indien zu adjungiren, damit derſelbe in Beſendung nach dem Perſiſchen und andern Orientaliſchen Königlichen Höffen hätte gebrauchen können.

h) Sereniſſima Regina

Quæ neceſſaria ſunt in acquirendis libris, qui deſiderio T. M. inſervire poſſunt, illa prætermittere, meum mihi videor prætermittere officium. Itaque cum prodeat in typographejo meo Liber Perſicus famæ & materiæ celebritate ſingularis, auctore quoque celebri; tantum effeci apud Interpretem, ut lubens hæc, quæ excuſa jam ſunt, R. T. Majeſtati transmiſerit. Ego porro ſi hæc placuerint R. T.

liare ſtuduerat; atvero, cum regimine cederet, ſpes omnis, quam in illius favore poſuerat, ſimul exſpirabat, itaque in magni animi ſucceſſore, quod in illa amiſerat, mu-

R. T. M. operam ſum daturus, ut totum opus longe nobiliſſimum & Regio faſtigio digniſſimum ſub Regio veſtro nomine prodeat. Quamvis ſint alii Principes, qui eam gloriam ſibi vindicare allaborent, tamen apud Interpretem mihi amiciſſimum me id effecturum confido, ut non neget tam clarum ſcriptum Sacratiſſimo Tuo nomini ſacrare. Quod ſi gratum Reg. Tuæ Majeſtati fuerit, & favorem Regium ipſi interpreti clementi judicio innuere dignetur, ea ratione obligatus negare haud juſta poterit. Interpres autem eſt Georgius Gentius, ille qui per ſeptennium Conſtantinopoli orientalium linguarum & ſcientiarum in iis comprehenſarum ſtudio laudabilem operam navavit, & Imperio Orientis inprimis vero Ottomannici, circa ſacras & civiles Conſtitutiones notitiam non contemnendam exportavit. Vbi Commiſſarius Veſter Haraldus Appelbonius Haga ad nos redierit, plura ſuper Tacito & aliis rebus, quas Regia Tua Maj. illi injunxit. Interea hiſce clementer acquieſcat, ſubmiſſe rogo. Deumque precor, ut diu Te Regno Sueciæ & orbi Chriſtiano ſervet incolumem.

Maj. Tuæ

Devotiſſimus,
Blaev.

musarum præsidium requirebat. Atvero dum extraneos honores ambibat, a Serenissimo Saxonum Principe Consiliarii titulo cohonestabatur, & anno 1656. ipsi quotannis octingenti thaleri in præmium laboris designabantur, quinimo, postquam gravissima nonnulla negotia felicissimo cum successu expediverat, quingenti thaleri ejus pecuniæ reditibus ex peculiari gratia superaddebantur, eo scilicet tempore, quo ad Consiliariatum electoralem evectus erat. Non multum antea temporis Legationum & metallici Consiliarii titulo augebatur & a Serenissimo Regionum Brunsvicensium & Luneburgensium Duce AVGVSTO Goslariam, ut aurifodinas Ramelsbergi lustraret, evocabatur, ubi etiam muneris sui partes egregie adimplebat. i) Hoc enim factum,

i) Compendium argentifodinæ Ramelsbergi in Sylva Hercynia prope Goslariam ex MS is Gentii collegimus, quod L. B. heic quam commode tradere possumus. Mons, sunt verba ipsa Gentii, est mediocris, latera ejus non arboribus, sed ericeto, vacciniis (*Brombeeren*) & aliis arbusculis obsitus, ante se nullum montem habet, a tergo Hercyniam contingit & Hertzberga illi proxima est. Historicorum fide sub Imp. Ottone I argentifodina est detecta a quopiam venatore, qui dum feras captando

ctum, ut domum redux sæpius talismodi, quod dicunt, Commissionibus admovere-

D tur.

do persecutus, heic equo, quem allegavit, descendit, mox ubi redit, equus calcitrando æs detexit, an. Christi 972. Michael. Saxo in sua Imper. Chronica, 14. Aprilis dicitur, hujus venatoris equus Ramel cognominatus hunc montem suo cognomine celebravit. Addit Gentius, Johannem Rawen concionatorem Wetterensem in Hassia dicere: Imperatoris Ottonis Magni venatorem cognomine Ramma dictum fuisse, ejusque conjugem Gosam, a qua mons, aqua inde ruens, de qua cerevisia Goslariæ coquitur, & urbs ipsa denominata est. Hujus venatoris & conjugis Gosæ simulacrum saxo incisum ante aliquot annos tribus ulnis humo erutum in cœmiterio Franckenbergico ad Capellam erectum ostenditur. Sub monte, ubi adjacet Hertzberga, scaturit fons insignis scaturigine crassa brachium unum, dictus liberorum fons, Kinderbrunnen, qui fornice contectus: ibi duo liberi sunt incisi saxo; Imperator Otto per Francos primum fodinas coluit inductos beneficio Regis Francorum Hugonis affinis sui, qui sororem Hundam habebat, ut Paulus Emilius tradit. Franci liquefaciendi artem Saxonibus ignotam induxere. Ottone Magno defuncto usque ad an. 1235. (annos 263.) ob pestem & bella neglectæ sunt istæ argenti fodinæ, coli rursum cœpere præcipue sub Frid. Barbarossa bellante cum Henrico Leone Duce, ut per bella Imper. Philippi III. & Ottonis IV. Imp.

ne-

tur. Primaria tamen ejus opera in eo versabatur, ut, cum eleganter latine, gallice atque italice calleret, Domini sui clementissimi

neglectæ, sub Ottone IV. pace redintegrata, recultæ sint. Sub Friderico II. Dux Otto omnium Brunsvicensium & Luneburgensium pater & auctor Moguntiæ d. 21. Aug. an. 1235. in Comitiis Ramelsbergam & ejus dominia feudi beneficio accepit, qui cum posteris possedit ad an. 1359. tum a Magno Duce Brunsvicensi, Ernesto Grubenhagensi, item Ernesto juniori Gölingensi oppignoratæ, Goslarensibus mox ruinis ita perierunt omnia, ut 100. desolatæ fuerint, sicut Munsterus, Agricola, Mathesius, habent; ut vero tradit Jo. Rawen an. 1453. recoli cœpit quinta vice, qui cultus etiamnum floret Goslariæ. Annos 190. possedit Dux Brunsvic. & Luneb. Henricus, soluto pignore liberavit renitentibus Goslariensibus, qui ideo an. 1540. proscripti, tandem Reisembergæ an. 1552. die lunæ post S. S. Trinitatis Festum lis composita, & tenuere Brunsvicenses ad tempus Frid. Vlrici, qui 1634. Brunf. obiit; hinc Ducatus Brunsvic. Wolffenbytensis & Calenberg agnatis cessit. vid. Petrus Albinus in Chron. Misnensi p. 112. Quibus nos addimus, quod hæc Relatio Gentii, etiam quod ad verba, fere conveniat cum MSto: *Beschreibung des Ramels Bergwercks de Anno 972. biß 1686.* &c. quod insertum est a Celeb. Franc. Ern. Bruckmann *in seinen Magnalibus Dei in Locis subterraneis oder Beschreibung der Bergwercke, Wolffenbüttel. 1730. fol.*

tiſſimi nomine ad Reges ac Principes tum literas ſcriberet tum ad eorum Legatos ſermones in quacunque lingua haberet & interpretis officio ſcite perfungeretur; anno 1658. Secretarii Electoralis honoribus ornatus cum Electore Francofurti ad Mœnum in novo Imperatore eligendo interfuit, & cum Legatus Portæ Ottomannicæ auguſtisſimo LEOPOLDO in Imperatorem delecto gratulationem ſuam faceret, noſter Imperatoris nomine ac jusſibus in lingua Turcica reſponſum dedit; anno 1659. Viennam profectus eſt, & auguſtisſimo Imperatori pericula, quæ a Turcis conflari videbantur, detexit; Anno 1662. & 1664. Ratisbonenſibus Comitiis, quæ belli feralis a Turcis timendi cauſa habebantur, Electoris nomine adfuit; a quo deinde tempore in ſuo prædiolo prope Halam ſito *Glynick* vixit & hæreditatem a fratre relictam adiit; Atvero medias inter lites, quæ ipſi a vidua movebantur, anno 1665. ab Electore Saxoniæ, qui eum Romanorum Imperatori, ut le-

fol. p. 365. De metallifodinis Harcicis in genere agit Jo. Ern. Braun in Amœnitatibus ſubterraneis, Goslariæ 1726. 4. Rationem nominis *Ramelsberg* alias prodit Geo. Agricola L. I. de veter. & novis metallis p. 393. ſed omnium prolixiſſime Joh. Mich. Heineccius Antiqu. Goslarienſibus, p. 12. & 18.

legatos Constantinopolim mittendos sequeretur, commendaverat, literis ad Serenissimum fratrem AVGVSTVM datis Dresdam vocabatur, quo itineri Viennam faciendo statim se accingeret. Viennam quoque contendit, an vero cum Legatione ista in Orientem secunda vice abierit, id est, de quo incertus dubito. Multa quidem ipsius curæ tum a Serenissimo Principe tum ab aliis demandata fuisse, quæ ex istis regionibus in nostras perferret, lego, gravissimæ tamen ipsius inveniuntur querelæ, quas ea propter cumulat, quod, cum abitum ejus e die in diem differrent, diuturna ista Viennæ commoratione famam suam & hæreditatem perdiderit. Illud denique silentio non est prætereundum, Gentium Electoris Brandenburgici FRID. WILHELMI nomine cum Legatione Tattarica an. 1677. in castris prope Stetinum positis egisse, cum multiplici calamitate & continuis persecutionibus in miserrimum jam adductus esset statum.

IX.

Jure meritoque inter felicitates, quæ GENTIO contigerunt, numeramus, quod Imperatoris LEOPOLDI, aliorumque Principum colloquiis & gratia dignus sit habitus. Siquidem pulchrum & magna laude

laude dignum eſt amicitia Principum frui. Divum LEOPOLDVM de arcanis quibusdam rem Chriſtianorum communem concernentibus cum GENTIO collocutum eſſe, patet ex literis, quæ ab Imperatore ad Electorem JO. GEORGIVM II. propria manu ſcriptæ, inter MStorum reliquias repertæ fuerunt; k) Imprimis JO. GEO. II. l)

 adhuc

k) *Durchlauchtiger Hochgebohrner. Freundl. lieber Oheimb und Churfürſt. Von E. L. Rath dem Gentio habe ich mit mehrern verſtanden, was Sie mir durch Ihme haben zu wiſſen thun laſſen, wie ich nun hieraus E. L. abſonderliche zu mir tragende Affection und gütigen Eiffer zu dem gemeinen Beſten verſpüret habe, alſo thue Ich mich deſſen bedanckhen, und verſichere Sie hingegen auch meines Theils des gleichen, wie E. L. mit mehrern von gedachten Gentzio vernehmen werden, auf welche ich mich beziehen thue und iederzeit verbleibe,*

Regenſpurg den 28. Merz, *E. Lbd.*

Gunſtwilligſter Oheimb,
Leipoldt.

l) Jo. Geo. II. Seren. Elect. Saxoniæ immortalem ſibi peperit gloriam favore & ſtipendiis ſane magnificis, quibus eruditos & inprimis Orientalium linguarum ſtudioſos beavit. Exemplum nobis ſubminiſtrat Gentius, & aliud habemus in Jo. Bohemo Phrontiſterii Dreſdenſis Directore, cujus du-

adhuc Principi & poſtea Electori perquam fuit charus; Quamdiu ex Oriente reverſus Amſtelodami commoratus fuit, ex ærario Principis tantum pecuniæ, quantum ad Roſarium nitore omni ornandum requirébatur, liberaliſſime accipiebat, & quod ipſi quotannis certæ pecuniæ ad iter Conſtantinopolitanum denuo inchoandum deſtinatæ fuerint, hujus rei ſupra mentio a me facta eſt. Officia denique, quibus præficiebatur, & literæ, quibus GENTIVS in cauſa ſua Imperatori diligentiſſime commendabatur, tanquam clariſſima monumenta de clementia Electoris ſatis teſtantur, quam cumprimis FRISIORVM interceſſione ſibi acquiſiverat. Duo tunc temporis

ductum in Hebraicis ſecutus fuerat Princeps. vid. Geo. Henr. Gœzii Meletem. Annæberg. p. 869. & quid mirum? cum ipſe Princeps in diviniſſima lingua, quæ amico cum cæteris oriental. linguis jungitur vinculo, eſſet exercitatiſſimus; id quod Martinus Geierus in Dedic. Pſalmorum Ebr. Dreſdæ 1668. 4. luculenter teſtatus eſt, & præterea crebræ congratulationes Ebrææ, cum Lipſiæ homagium acciperet idem monſtrarunt. vid. Chriſto. Græfii Dyota Sacra. hoc eſt, R. Moſis Maimonidis Epiſt. de falſo Meſſia Notis Hiſtorico-Philologicis illuſtrata, & Politicus orientalis ad Jobum Ludolfum.

ris in Aula Saxonica FRISII fratres florebant, alter HENRICVS, alter CAROLVS L. B. DE FRISEN; Quemadmodum hæc gens antiquitatis & virtutis laude, nec non gestorum prudentia semper fuit & adhuc est celebratissima, ita cumprimis illi, de quibus nobis sermo est, FRISII tum temporis inter omnes digni censebantur, quibus etiam a doctiori orbe laudes deferrentur. Illi non solum crebriores ad GENTIVM literas exararunt, in quibus tum studia sua ex ejus alloquio per literas, tum Bibliothecas ex libris rarioribus transmittendis augeri, maxime cupiunt, m) ve-

m) Quæ ut haud temere asseruisse videar, additis quibusdam ex literis excerptis sum confirmaturus, quæ simul de horum Perillustrium virorum studiis & benigno in Gentium animo testimonium perhibebunt: -- Melius fecissem fortassis, si omissis istis libellis novitiorum quorundam scriptorum, quos vel semel obiter tantum inspexisse suffecerit, in classicos potius auctores ex Græcia & Latina antiquitate æs impendissem, in posterum certe ita mihi decretum est facere. Nunc Te oro, mi Genti, si forte Tibi copia fuerit ex aliqua Bibliotheca eruendi Græcos quoslibet autores, eos comparare mihi ne omittas, sed indicato prius per literas & titulis auctorum & singulorum pretio; vellem etiam annales Baronii, Bibliothecam Patrum, Opera

rum etiam ejus paupertatem donis datis muneribusque sublevarunt, quinimo Serenissi-

Opera omnia Erasmi alicubi prostarent non nimis immani pretio (nam in officinis nimium quantum illud calet) ut æqua aliqua conditione eos possem meos facere, itemque Scaligerum de Temporum Emend. & Eusebium ejusdem, Athenæum Casauboni, Aristotelem cum ejus interpretibus omnibus, uti & Platonis interpretes præter Plotinum, quem habeo; ii enim omnes in mea bibliotheca cum aliis non paucis desiderantur. Profecto haud paulo majus operæ faceremus pretium hos & id genus humanæ sapientiæ primarios magistros versando, quam nugas istas, si lectites, quibus magna pars scriptorum hodie se populo venditat; quorum libros evolvere, sæpe bonas horas perdere est. Reliquum quod addam in præsens est nihil, si te per genium amicitiæ prius adjuravero, ut ad nos revisere ne differas absentiam tam chari capitis, si æquo foret diuturnior impatientissime laturos.

-- Fabri quidem opuscula vellem plura vel potius ad unum omnia nactus esses; Extant enim Tolosæ in Gallicis edita ejus auctoris volumina ad 15. circiter omnia rarissimæ notæ; chymica omnia, quæ quidem mirum in modum missa cuperem, sic unde haberi possent. De pauculis istis a me partim tum & Fratre Carolo huc sub abitum tuum missis nummis, non est, quod tam exiliter atque anxie rationem putes. Nihil hujus sane est tanti. Poteris enim eos vel in res Tuas, ut libitum absumere; nec enim meum est

reniſſimo Duci Holſatiæ, qui antehac ſolemnem Legationem in Moſcoviam & Per-

um eſt tantillum iſtud imputare. Vt redeam ad libros noſtros, video de Voſſianis nonnulla Te polliceri, neque tamen ſatis exprimis quænam illa ſint ſcripta, quæ nos jubes ſperare, aut quod tractent argumentum. Scire vero Te velim quæcunque illius edita extant, habere me pleraque omnia, exceptis iis duntaxat, quorum titulos memoriæ cauſa Tibi annotavi jamdudum. Grotii Hiſtoriam Gothicam ſive Svedicam, ſeu quocunque alio nomine vocatur hujus argumenti ſcriptum Lutetiæ ante hos proximos annos ſunt, qui vidiſſe ſe, affirmant. Qui ſi vera narrant Leydæ ſine dubio volumen extabit, unde parari poterit, ſicut & ejusdem incomparabilis viri, quæ in Epiſtolas aliquot & apocalypſin annotavit, Tomi quarti titulo Pariſiis edita. Hæc ſunt ferme, quæ hoc tempore ad Te perſcribenda cenſui, ſed rapido, ut vides, & fugiente calamo, ſine omni cura nitidioris alicujus cultus; inter occupationes non unas, quæ nunc maxime moleſtæ & caput & circumſiliunt latus, imo me mihi præſurripiunt; certe non ſinunt integro animo ſcriptioni vacare in præſens. Itaque ignoſces hallucinanti & brevi forte penſaturo quicquid hac parte nunc eſt peccatum. -- Nunc manum de tabula, Teque, mortalium longe amiciſſime, plurimum valere, Tuisque ſimul præſtantiſſimis laboribus pares ſuccedere eventus ex animo precor, qui ita a Te perpetuo amari expeto, ut a me vir-

ſiam miſerat, commendaverunt Noſtrum: Ad FRISIORVM amicitiam mediante Theo-

tutes Tuas æſtimari profecto intelligis. Vale, Candidiſſimum atque amiciſſimum pectus, meque, quoad vivam, crede ſemper

Tui

Dresdæ, d. XXIII. Sept.
cIↄIↄcL.

ex animo ſtudioſiſſ.
H. a Friſen.

- - Mire aveo, bibliothecam non tam mole viſendam, quam uſu & delectu habilem ex optimis quibusque in omni ſcientiarum & doctrinæ genere auctoribus paulatim extruere domi meæ. Ad eam rem opera Tua & induſtria ſi me juvare dignaberis, multum tibi debebo. Nec enim ad conquirendos undique codices otium mihi eſt in præſens, neque erit fortean brevi adeo; imo metuo ne minus minusque ad hæc ſtudia reſpicere, integrum mihi futurum ſit, poſtquam viſum eſt Sereniſſimo Electori graviorem mihi publici muneris ſarcinam imponere denuo in ordinem ſecretiorum Conſiliariorum me nuperrime adſcito, quod ego, cum repudiare vix poſſem ſat honeſte, eo demum admiſi animo, ut qui hac tam ardua exercitaque provincia cum honoris aliquantum, tum haud paulo plus oneris mihi acceſſiſſe ſentiam; cum libertatis tam efflictim mihi admatæ forte non exiguo diſpendio. Amicos noſtros veteres, ſi quos adhuc noſtri

Theologo Norimbergensium celeberrimo JO. MICH. DILLHERRO admissus est. Hic vir, quæ fuit insigni humanitate atque in juvando juventutis emolumento promtitudine, Nostro, dum in Academiis & itinere versabatur, non tantum sæpius decem ducatos, sed, quod vere mirandum, una vice munera ultra 1000. florenos transmisit, nec dono data unquam repetiit. n) Repetiit ex adverso tanquam debita GEO. MVLLERVS Senator Hamburgensis, hic multa beneficia per quindecim annos promovendis GENTII studiis contulit, cum gravissimis patriæ cladibus subinde ob Germaniæ bella affligeretur. Dona vero fuisse, testantur literæ, quas cum designatione ad quinquaginta Imperiales Venetiis ipsi exsol-

nostri meminisse non piget, quæso saluta diligentissime atque officia mea ac cultum ita iis defer, occasione data, ut intelligat pro se quisque, quanti a me amicitia eorum fiat: idque, si cui, certe Dan. Heinsio, amicorum principi (dum fata me ab illo non ignorari patiebantur, quem ejus affectum nunc quoque veneror) esse quam persuasissimum cupiam.

n) Sic rursus exemplum habes liberalitatis Dillherrianæ, quæ semper se, ne dilaudando vulgaretur, abscondere studuit, ut adeo vere dixerit, quicunque dixerit: *Tenebras charitas Dillherriana luce immortalitatis dignissimas quærebat.*

exſolvendos, poſtremo ſcripſit: Literarum verba ſic habent: De favore & liberalitate DILLHERRI Tibi gratulamur, qui nobis & ſtimulos addidit, ne deeſſemus, laudo profecto hujus viri benevolentiam in omnes literatos, qui plurimis exemplo eſſe poteſt. Nihilominus hic patronus animo ejus in diverſum per callidas inimicorum GENTII, ut quidem hic queritur, artes mutato, omnia minutim & anxie imo cum fœnore rurſus exegit. Laudabilior fuit ADRIANI JVNII Scholæ Latinæ apud Amſtelodamenſes Rectoris conſtantia; Quamdiu Amſtelodami vivebat, ſuum in hujus viri clariſſimi ædibus domicilium habebat paratum, qui etiam GENTIO plus quam mille & quingentos thaleros mutuo dedit, & ſchedula in GENTII manus tradita cavit, ne hæredes prius, quam ad meliorem Noſter veniſſet fortunam, repoſcerent. Denique ſingularis ANSLONII o) mu-

o) Erat Gerebrandus d' Anslo mercaturæ quidem addictus, literis tamen inſimul egregiam ſemper navabat operam; quibus promovendis bibliothecam ſibi comparaverat prorſus inſignem, cujus mentionem facit ipſe Gentius in Epiſtola Dedicat. ad doctiſſimum præſtantiſſimumque Virum Gerebrandum Anslonium verbis hiſce ſequentibus: *Nil ego nunc*

munificentia prædicanda erit, quo patrono, cum Orientis terras inviseret, præcipue ute-

nunc de pulcherrima pretiosissimaque Bibliotheca Tua heic dicam, quam incredibili labore, immensisque sumtibus ex Hebræis potissimum & Arabibus, adeo ingenti manuscriptorum voluminum thesauro, Judæis ipsis admirando ornasti, quæ raro aut nunquam vidit noster orbis, ut publicas quaslibet bibliothecas magnificentia æques, munificentia autem superes, dum pulcherrimi istius thesauri possessionem Tibi, usum etiam aliis omnibus liberalissime vindicas; Omni itaque jure Dan. Geo. Mollerus eam Bibliothecam inter privato-publicas narravit. Disputat. de Bibliothecis. Altdorffii. 1700. §. 37. Rei veritatem ulterius confirmat elogium, quo eundem honoravit Doctissimus Christianus Ravius in Panegyr. primis oriental. linguis dictis, & Anslonio suo lingg. orient. promotori insigni dedicatis. Vltraj. 1643. Sic enim p. 34. pergit, postquam de Arabicis, alisque Orient. Codd. MStis, quibus Belgium tum superbire incipiebat, dicere instituerat: *Illud mercatorum decus & studiorum ille fautor orientalium D. Ansloo plures habet codices, & per præstantissimum illum Juvenem Germanum D. Gentium ultra ducentos & ipse comportabit.* conf. Jo. Henr. Hottingerus in Analectis Historico-Theologicis. Diss. VI. de Vsu Linguæ Arab. §. 2. Possidebat vero Anslonius non tantum Bibliothecam præstantem (cujus Catalogum quoad MSta Orient. inter Gentiana deprehendimus) verum etiam ipse eruditos inter suum

utebatur. Quamvis autem iſta graviſſimorum patronorum frequentia gauderet, tantum tamen abfuit, ut ad mortem uſque eorum præſidio atque auxilio frui potuerit, ut potius, poſtquam alios mors abſtulerat, alios inimicorum atrocitas abalienaverat, in ſenectute ad incitas redigeretur ab amantiſſimis ſui derelictus.

X.

Jam videamus, quomodo fortuna GENTII, poſteaquam floruerat, nunc ſenuerit,

ſuum certe tuebatur locum; hoc enim itidem Gentius elegantiſſime eloquitur l. c. *Es tu ille, qui in Mercuriali hac urbe, raro & imitando aliis exemplo, ita Apollinem Mercurio ſemper junxiſti, uti propemodum ſolus cauſam mihi intellexiſſe videaris, quamobrem duos iſtos Deos fratres eodem patre Jove genitos obſcuris vera involvens finxerit vetuſtas. -- Græcas Latinasque literas tractare, ceu levis ea & vulgata nimis laus eſſet, non contentus generoſo excelſæ mentis impetu etiam Hebræam aliasque Orientis linguas adjunxiſti, quarum tu cognitione ita excellis, ut provocare poſſe videaris multos, quibus hoc unum opus ſemper fuit, omne tempus & ſtudium ſuum in ſolis iis literis tractandis collocare.* Denique in ejus laudem refert, quod Maimonidis de pœnitentia opus doctiſſime verterit. Miror proinde hujus doctiſſimi mercatoris nomen, illorum, qui ex inſtituto de mercatoribus eruditis egerunt, notitiam fugere potuiſſe.

nuerit, nunc plane interierit, &, ut fortunæ varietates, quibus Noſter agitatus fuit, ab initio repetamus, memorandum erit, GENTIVM noſtrum filium natu minorem, interempto Patre, ſecundum Patriæ ſuæ conſuetudines p) in bonorum immobilium poſſesſionem ſuccedere debuiſſe, quid quod & Patrem nunquam voluiſſe, ut filius natu major, quoniam invito & inſcio illo peregrinam in matrimonium duxerat, hæreditatis relictæ particeps fieret. Verum enim vero Noſter tum temporis inter Belgas & in locis a patria longe remotisſimis vivens magnaque fortunæ benignitate, ut ipſe fatetur, gaviſus fratri, ut interea temporis bonorum curam haberet, ædificia diverſorii diruta reſtitueret, ſibique aliquando rationem redderet, demandavit. Hic, quamvis bono alias in fratrem affectus eſſet animo, ſuæ

p) *Wir Bürgermeiſter und Rathmanne zu Dahme bekennen hiermit, daß zwar keine gewiſſe Statuta in Erbſchaffts-Sachen, ſondern nur eine Conſuetudo allhier, daß der jüngſte Sohn, wenn ſelbiger bey der Handt, und es begehret, die Prærogativ zum Guthe, ſoferne er vermögens denen andern herauszugeben, welches wir alſo auff Begehren unter E. E. Raths und gemeiner Stadt Inſigel von uns auszuſtellen, nicht verweigern ſollen. Actum Dahme den 21. Aprilis 1665.*

ſuæ procacisſimæ conjugis blanditiis eo ſe adigi patiebatur, ut omnibus eum exuere bonis cogitaret. Sparſerunt igitur rumores, GENTIVM multos ante annos in Batavia jam obiiſſe. Id quidem certum eſt, in ordinariis Relationibus Amſtelodamenſibus anno 1649. ſcriptum fuiſſe; Coſacos Zaporovienſes Legatum Turcicum & alios ipſum ſequentes eosque inter GEORGIVM GENTIVM deprædaſſe & interemiſſe; q) atvero GENTIVS literis aliquoties ex Conſtantinopoli datis fratrem fecerat certiorem, ſe adhuc eſſe in vivis. Nihilominus, Noſtro primum pro impubere, qui tamen jam majorennis erat, deinde pro mortuo & abſente habito, cum ſororibus contraxit perfidus frater, illisque ſatisfactione præſtita, Noſtri bona prorſus impune ſibi vindicavit, quorum omnium GENTIVS

q) *Amſterdam den 15. Octob. 1641.*
Wt Danſick werdt geſchreven dat den Turcſchen Ambaſſadeur onlangs uyt Hollant aldaer gekommen was, ende door Polen naer Conſtantinopolen reyſende, op de grenſen van de Sabrotſche Coſacken met alle ſyn byhebbende geſelſchap ſoude geplondert enn vermoort zyn, daer onder ſeker wel-geleerte Jonghmann Georgius Gentius derwaerts gaende om de Talen te leeren, diemen meynt mede gbleven te zyn.

TIVS inſcius, cum jam Sereniſſimo Electori eſſet a ſervitiis, a Senatu rogatus circa annum 1660. Dhamam venit, ut novitatibus, quibus MELCHIOR SLOMACHIVS cives inſolentius vexabat, contra audentior iret. GENTIVS in diverſorium ſuum ingreſſus continuis fratris precibus fere defatigabatur, ut diverſorium illi donaret; verum noluit, & non ita multo poſt ab aliis reſcivit, fratrem in teſtamento quodam in judicio depoſito bona uxori ſuæ omnia legaſſe. Qua injuria & fraude fratri exprobrata, teſtamentum iſtud in manus GENTII fuit traditum, & frater, ne ignominia major ſibi exinde oriretur, loco diverſorii noſtro prædium quoddam emere pollicitus eſt. GENTIVS accepta pecunia prædiolum prope Dhamam ſitum *Der Glienick* appellatum a JOH. FRIDERICO a LOEBEN emit, in quo per triginta retro annos hactenus inhabitabili & inculto domum ſibi ac villam extruxit, & ſæpius heic tanquam in receſſu cum periculo tamen vitæ, ut ſcribit, vixit. Quæ dum gerebantur, moritur frater ſine relicta prole; GENTIVS noſter, ut hæreditatem fraternam ad ſe converteret, Dreſda venit Dhamam ab Electore ad Fratrem Sereniſſimum Principem AVGVSTVM literis commen-

datitiis inſtructus, ſed quantis, quas dudum præviderat, fraudibus, dolis, machinationibus vidua, & qui cum hac colludebant, SLOMACHII Noſtrum circumvenerunt, vix poteſt dici. In convivio funebri venenum admiſcuerunt mulſo, & cum ſoror, quæ exequiis ſimul adfuerat, paulum de iſto deglutiret, alvique intumeſcentia ſequeretur, vidua cum ſuis noſtrum intentati veneficii reum habuit; Atvero GENTIVS antidotis ſuis ſorori & tumorem minuit & vitam conſervavit. Non erat Noſtro eo tempore liberum, omnia hæreditatis jura perſequi, ad iter enim Conſtantinopolitanum, cujus ſupra mentionem fecimus, ſpeciali Electoris mandato Dreſdam revocabatur. Viennam itaque miſſus eſt, in qua urbe per aliquot annos quaſi exul patria vixit. Pecuniæ enim nihil ipſi exſolvebatur, JONAS SCHRIMPFFIVS Electoris nomine in aula Imperatoris Reſidens, qui eum inprimis accerſiverat, inimicorum GENTII donis, ſi GENTIO credere fas ſit, corruptus, Noſtrum tamdiu Viennæ detinuit, donec ære alieno & Viennæ & in patria aucto, ejus prædium haſta publice poſita SLOMACHIANIS agris additum, illique domeſtici, qui noſtrum veneno tollere tentaverant, in libertatem reſtituti erant. Ita ulti-

ultima Noſtro pernicies creabatur, domum enim reverſus non ſolum in juſta ſua abſentia immobilibus ſuis bonis ſpoliatum ſe & in ſummam inductum calamitatem vidit, verum etiam ne Dreſdæ quidem ſine injuriis poſtea vixit, ciſtas itidem, in quibus rariſſimi libri MSti erant reconditi, effractas atque rariora plura ſubrepta eſſe doluit. Cum vero multi periniquum in eum proderent animum, & patroni, qui cauſam ejus ſuſcepturi credebantur, acerbiſſime in eum inveherentur, Berolinum diſceſſit, & ut injuſtiſſime erepta juſtiſſime recuperare poſſet, omnem dedit operam. Sed viciſſitudines fortunæ, quas mutare & corrigere non eſt humanæ ſortis, Noſtro ferendæ erant, nec GENTIVM ſuæ ultimæ fortunæ fabrum quadam morum ſimplicitate aſſumpta extitiſſe, negari poteſt. r)

r) Sequentes huc pertinent literæ ab H. a Friſen exaratæ.

Eximie atque amicisſime Vir

Jam binas a Te Berolino accepi exiguo ſane intervallo eodem ambas argumento ſcriptas & ſtylo. Scilicet eæ continent vel potius querimoniam ſatis gravem de iis, quæ Tibi in hac aula degenti indigna & adverſa ab annis compluſculis immerito contigere. Quæ quidem, quoties recogito, non poſſum profecto quin juxta tecum & doleam & indigner pluri-

XI.

Sic GENTIVS omnibus ſuis exutus bonis circumvagabatur, tantum tamen abfuit, ut adverſarii ejus ipſi nocere deſiſterent,

plurimum; imo quovis malo dignos deputem, ſi qui ſunt, quos haud eſt pigitum, Tibi ea virtute, integritate atque innocentia viro, optimisque tantum artibus innutrito, earumque præſidio multorum ac magnorum amicitiam ac favorem merito iſta, de quibus quereris, negotia faceſſere. Verum enim vero, quando præterita corripi multo equidem facilius quam corrigi poſſunt, magis fortaſſis in rem fuerit hoc tempore auxilia circumſpicere, quibus ex illa debitorum Charybdi, in qua luctari te intelligo, eripi tandem & exſolvi poſſis. Quam ad rem efficiendam, ſiquidem opera mea ſtudioque aut labore indigere duntaxat Te intelligerem, neminem certe me fore paratiorem Tuique ſtudioſiorem ea in parte facile poſſes experiri. At cum ſubſidio argentari ad Te expediendum eoque præſentaneo opus ſit, tute noſti, mi amiciſſime Genti, quam ſit vel ipſemet Ser. noſter in præſentia ab hac re imparatus, ita, ut ad faciendam ejus rei fidem, nullis, apud Te quidem, verborum ambagibus opus ſit: quare aliam Tibi rationem ineundam cenſeo; cujus quidem copiam utinam in promptu tam haberem, quam ad opem fortunis Tuis ferendam ab animo certe & affectu paratiſſimum me eſſe, vere affirmare poſſum. Ante omnia tamen ſuaſerim ſedulo, ne graveris hac ipſa de re, qua me-

rent, ut potius, cum injuriam Noſtro illatam amplius non defendi poſſe animadverterent, mendacia ſpargerent, atque criminoſis verbis GENTIVM conficere non erubeſcerent. Namque ut Patronorum aliorumque ipſi bene cupientium animos exacerbarent, GENTIVM frequenti cum Turcis conſuetudine uſum Chriſti ſacra jam dudum deſeruiſſe ac novam plane ſingularemque ſibi religionem ingenio effinxiſſe, diſſeminarunt; at teſtimonia, quæ ex Oriente attulit, ſatis de conſtantia fidei loquuntur; Noſtrum ſcilicet nunquam a ſacris majorum recesſiſſe, ſed converſatione cum Turcis prudenter inita, fidem Chriſtianam pectore conſervaſſe intemeratam.

mecum per literas agis, adire Seren. Principem Electorem atque omiſſis acerbioribus aliorum inſectationibus (quibus nihil ferme niſi odium paritur ſine ullo in cæteris profectu) ſimpliciter & candido exponere, quibus æris alieni nexibus circumventus hæreas, opem ejus benignitatemque expetens & implorans. Sunt ſane, ſicuti jam ante orſus ſum dicere, res noſtræ pecuniariæ ſi unquam, hoc certe rerum articulo longe impeditiſſimæ; non video tamen, quanam alia via eluctari poſſis ex iſtis neceſſitatibus Tuis. Habes hic inter cæteros patronum ſane primarium &, quantum ex ſermone ejus intelligo, optime erga Te animatum Ill. Dn. a Ramsdorff &c. Dresdæ, an. 1674.

Cum Viennæ non secus ac in vinculis teneretur, rumores circumferebantur duriores, GENTIVM in patria nonnemini vulnus intulisse, eaque propter Viennæ patria extorrem jam vivere. Alii GENTIVM christianos quosdam in Turciam ablegatos clam vendidisse, impie mentiti sunt: Alii veneficii intenti Nostrum veneno dato ipsum fere confectum reum fecerunt. Notatu etiam, vel potius risu dignum, quod JO. VORSTIVS Bibliothecarius Berol. Regius ex ore ANDREÆ MULLERI s) Præpositi

s) De hoc Andr. Müllero Greiffenhagio aliunde constat, ipsum in notitia Linguarum orientalium parem non potuisse pati, nullamque occasionem, in qua se non jactaret, facile prætermisisse; nescio itaque, an ex invidia fortassis Gentii famam inquinare studuerit? Sed cum de Müllero loquor, in mentem venit recordari Distichi cujusdam ad Mülleri nomen traducendum Berolini quondam confecti (cum eodem tempore dictus Præpositus, Consul quidam, Electoralis Inspector molarum & Carnifex nomine Mulleri appellarentur)

Berolinum Mola.

Hæc urbs anne mola est? ubi non molitor modo ventrem,
Sed mentem & pascit, jus dat & exsequitur.

Plura de Müllero dabunt Seb. Godofr. Starckius in vita ejus & Beierus in Musei Sinici Præf. p. 33. sequ.

ſiti Berol. auditum manu ſua teſtatus eſt; Quæſtorem quendam ex Saxonia (indigitat ſine dubio SLOMACHIVM) inter alia ipſi retuliſſe, GENTIVM quondam ſecum duxiſſe puellam ciſtæ incluſam. Sed ſatis de his. Nec perſequi animus eſt, GENTIVM Berolino revertentem globulo plumbeo ſauciatum graviter decubuiſſe. Hoc tantum addere liceat; GENTIVM, cum honores nactus eſſet, matrimonium inire decreviſſe, qua de cauſa etiam DILLHERRVM ſuum, ut virgine quadam Norimbergenſi venuſtæ formæ ſibi proſpiceret, rogavit, ſed jocoſe admodum reſpondit ille: *Noſtræ fœmellæ cum parum ſint opulentæ ob mercaturam quotidie magis magisque in pejus ruentem, tum glebæ etiam ſuæ ita adfixæ, ut loco moveri nequeant. Quamobrem ſuadeo, ut arrepta optima quaque occaſione Domui tuæ proſpicias. Profecto ſi mihimetipſi ducenda hic eſſet Juno, non invenirem commodam. Quamobrem ipſemet duxi peregrinam.*

XII.

Literas itaque fortuna indigere, nihilque admodum earum, ſi recte judico, cultoribus prodeſſe, niſi eam ſibi ſociam adſciſcant, id ipſum ex GENTII vita diſcen-

dum esse putaverim. Hic enim, postquam multas adversitates expertus est, ab amicis relictus, omnibus bonis subsidiisque orbatus, veneno aliisque plagis gravioribus acceptis in contemptum, odium & dirissimas quasque ærumnas venit. Inprimis ex literis ultimo vitæ suæ tempore ad amicos scriptis & relatione aliorum, qui in pueritia sua Nostrum adhuc viderunt, didici, nullum facile inveniri hominem, qui magis sibimetipsi diffisus fuerit, quam GENTIVM nostrum. Nec mirum est, eum, quando pristinum rerum suarum cum hac tempestate comparavit statum, insimulque calumniarum & obtrectationum quinimo insidiarum vitæ recordatus est, omnium mortalium suspicacissimum fuisse. Ab anno MDCLXXX. quo Potentissimus Saxoniæ Elector JO. GEO. II. & Mæcenas ejus indulgentissimus HENRICVS L. B. a FRISEN utrique alter alteri succedentes rebus humanis exemti sunt, in egestate indignissima vixit, cum qua diffidentiam sapienti viro magis adhuc indigniorem conjunxit, adeo, ut πάντα δαιμόνων πλήρη putaverit. Ab illis enim, quos minime fucatos esse credidit, petebat, ut cibum potumque in vasibus obsignatis sibi mitterent. Mœror animi

mi tandem in marasmum desiit, nihilominus in comitatu isto, qui funus Serenissimæ Electricis MAGDALENÆ SOPHIÆ claudebat, Freybergam anno 1687. venit. Et nescio, qui factum, ut exequiis solenniter peractis, Noster ibi maneret, nec fortassis male conjicerem, Senem morosum studio relictum esse. Interea cum meo avo M. ANDREA BEYERO Ecclesiaste Freybergensi νῦν ἐν ἁγίοις contraxit amicitiam, qui etiam GENTIVM, quamprimum hunc versionis latinæ Rosarii Politici autorem esse rescivit, tenerrimo statim amplexus est affectu. Meus avus miserrimum hominem non ipse solum pro viribus suis sublevavit, verum etiam, cum aliquando vesperascente die terra veluti repens januamque pulsans clamitando auxilium peteret, primum hospitio suo recepit, & deinde in civis cujusdam ædibus, vitæ subsidiis Illustri ABRAHAMO a SCHOENBERG summo rei metallicæ Præfecto & Patribus civitatis gravissimis largiter conferentibus, ad finem vitæ usque sollicite fovit; quem cum avus meus appropinquare vidit, moribundum sæpius adiit, & ad supremum istud certamen rebus divinis & suavissimis de εὐθανασίᾳ institutis sermoni-

monibus præparavit. Tandemque anno MDCLXXXVII. menſe Septembri beatiſſima mors miſerrimam vitam finiit; Poſtquam per LXIX. annos varia vitæ infortunia ſubierat. t) Meus avus exequiis factis defuncto parentavit, & ſepulchro, quod in cœmeterio ad templum S. Jacobi foſſum erat, ejus oſſa condi, ut vero poſteritas ſubinde hujus infeliciſſimi literati memoriam intueretur, ibidem ſumtibus ſuis lapidem cum inſigni eruditionis elogio inſcriptam ipſi poni curavit; æquum enim judicavit, illius memoriam ſacram habere & monumento propagare ad poſteros, qui ſapientiæ doctrina celebris quondam habitus eſt.

EPI-

t) Jam L. B. ipſe ex hac, quam finimus, vitæ & fatorum Gentii recenſione cognoſcet, a veritate longe abeſſe, quæ Celeb. Dan. Geo. Morhoffius in Polyhiſt. Liter. P. I. lib. IV. Cap. V. ex aliorum relatione de Gentio narravit, neque enim hic Berolini ſtipem oſtiatim petiit, neque ibidem præ ſenio delirus fatis conceſſit. Hanc quidem fabulam ſine addita animadverſione, quam ex Lexico Buddeano haurire licuiſſet, in nova Editione, quam Magnus Polyhiſtor Jo. Alb. Fabricius curavit, repetitam fuiſſe miramur.

EPITAPHIVM.

Steh, Lieber Leſer, wer du biſt,
Vernimm, wer in dem Grabe iſt;
Es iſt der Leib, der Seelen Hauß,
Die nun in JEſu Schoß ruht aus.

Eines unvergleichlichen Mannes und Chur-Fürſtl. Sächſ. Raths, Herrn GEORGII GENTII, der zu Dama A. 1618. gebohren und hier A. 1687. verſtorben: Vortrefflich auff auswertigen Vniverſitäten in Italien, Holl-und Engelland ſtudiret, in-und auſſerhalb Europa gereiſet: mit den gröſten Häuptern der Welt, dem Römiſchen, Türckiſchen Keyſern, Königen, Chur-und Fürſten geredet. Theils Deroſelben als Dolmetſcher und Rath gedienet, der zierlich Latein, Alt-und Neu-Grich-Ebräi-Rabin-Thalmud-Chalda-Syr-Arab-Perſ-Turck-Italien-Span-Frantz-Engl-Holland-und Schlavoniſchen Sprachen ſo mächtig, daß er ſie geredet, und aus denenſelben Bücher überſetzet, herauſsgegeben, den Gelehrteſten Leuten ſeiner Zeit bekant: der Oriental-und Occidentaliſchen Hiſtorien, der Rechte, Medicin, Philoſophia und Mathematick; wohl aber auch in der Welt viel Unglück, Lebens-Gefahr

und

und ſeiner Güter Beraubung ſchmertzlich erfahren, in vielen Stücken unglücklich, doch darinnen noch glücklich, daß er hier bey ſeiner Kranckheit und Unvermöglichkeit auch die Liebe der hieſigen Stadt-Väter, die ſie andern Gelehrten rühmlich erwieſen und durch deren Gütigkeit endlich deſſen Leib an dieſem Orth ſeine Ruhe gefunden. Aber Beyden zum Ruhm und Andencken dieſes hieher ſetzen laſſen.

M. Andreas Beyer,
Prediger zu S. Nicolai,
Des ſeel. verſtorbenen
guter Freund.

Vita igitur atque Fatis GENTII cum cura expoſitis, illa, quibus in rem literariam Noſter eminuit, merita in ſequenti Capite erunt percenſenda. Quamvis enim fatorum iniquitate famam vivus perdiderat, mortuo tamen immortalitatis nomen adhuc conſervant mentis & ingenii opera.

SECVN-

SECVNDVM CAPVT DE MERITIS GEORGII GENTII IN REM LITERARIAM.

CONSPECTVS.

I. Studium Linguarum Orientalium in Germania resuscitatum.
II. Latinæ, Græcæ, Italicæ, Gallicæ aliarumque linguarum scientia. Eloquentiæ facultas.
III. Linguarum Orientalium & inprimis Arabicæ & Persicæ perfectior intelligentia; Legum & Status rerumpublicarum cognitio; Botanices amor; Arcana medica.
IV. Scripta edita; Rosarium Politicum.
V. Historia Judaica; Canones Ethici.
VI. Scripta inedita.
VII. Commercium literarium.
VIII. Character animi.

§. I.

§. I.

FOrtunata omnino iſta cum PLINIO a) cenſemus tempora, quibus adhuc honor ſtudiis durat, quandoquidem ſic inſignia illis afferuntur ornamenta. Hoc inprimis nomine ſuperiori ſeculo XVII. poſſumus gratulari. Si enim unquam fuit ætas, quæ magnum ſapientium virorum dedit proventum, certa illa fuit, utpote qua in Germania, Gallia, Belgio, & Anglia tam læta eruditorum extitit ſeges, ut ſingulæ nationes de principatu eruditionis obtinendo contendere viderentur. Quod quidem ad Germaniam noſtram præcipue attinet, bellum iſtud truculentum multos egregios literatorum conatus ſufflaminavit; hoc tamen finito, ſtudia, quæ oblivione quaſi conſepulta jacuerant, reviviſcere denuo cœperunt, & viri doctiſſimi magno agmine certatim prodierunt. Inprimis tum illis temporibus multi animos ad literas & linguas, quas orientales dicimus, diſcendas appulerunt. Etenim poſtquam POCOCKIVS, GOLIVS, RAVIVS aliique ex itineribus in Orientem factis reduces non tantum majora linguarum orientalium incrementa ceperant, ſed etiam

a) Epiſtol. Lib. IV. p. 16.

etiam rariſſima MSta, quæ ad hiſtorias tum ſacras tum profanas illuſtrandas multum faciunt, tanquam ſpolia pretioſa ſecum reportaverant, alii ſubinde excitati ſunt, qui illis literis addiſcendis operæ plurimum ſtudiique conſumſerunt. Quos inter jure meritoque GENTIVM numeramus, qui literas illas peregrinas, non ut canis crocodili metu Nilum ſolet, primis tantum labris deguſtavit, ſed ita prorſus imbibit, ut vel ipſi Turcæ, Arabesque, ei vix parem inventum eſſe, judicaverint. Quorum de doctiſſimo viro judicia a L. B. comprobatum iri nulli dubitamus, ſi merita ejus in ſequentibus omni blanditiarum ornatu poſthabito ſollicite enarravimus.

II.

Studia, quæ ab humanitate nomen ſuum indepta ſunt, juvenis æque ac ſenex ſemper in deliciis habuit. Et cum ſingularem memoriæ vigorem ſentiret, ab alisque exemplum præeuntibus edoctus fuiſſet: Linguas eſſe claves rerum, b) in ſcholis

b) Pari ratione commendat linguarum ſtudium doctiſſimus Th. Hyde in Præf. libri de Hiſt. Schahiludii. Oxonii 1594. 8. *Linguæ ſunt claves rerum, ſine quibus non poſſumus ad res ipſas pervenire: Sunt viarum Duces, ſine quorum ductu nemo ad ſcientiarum Adyta penetrare queat.*

lis ſtatim a latino ſermone auſpicatus eſt, & parvo temporis ſpatio tam eruditus in illo fuit, ut inde copiam & artificium in alios huic finitimos ſermones transfundere potuerit. Calluit autem latinam egregie, uti ſcripta verſionesque ejus, quæ non magis doctrinæ præſtantia, quam terſa ornataque dictione commendari meruerunt, literæ etiam Principis ſui nomine ad purpuratos & legatos exaratæ oſtendere poſſunt. In vocabulis ſeligendis quam maxime fuit ſtudioſus ita, ut nimia GENTII circa voces curatura in verſionibus, quas adornavit, non omnibus omnino placuerit. Græcam linguam, ex qua Latini homines, quicquid in literarum monumentis elegans & præclarum habent, in juvenili ætate perdidicit, & frequentiori poſtea cum Græcis colloquia miſcendi occaſione oblata, quantum novus ab antiquo Grajorum ſermone differat, probe perſpexit. Neque mediocrem diligentiam in linguarum Gallicæ, Anglicæ, Belgicæ & Italicæ cognitionem contulit, ſed cum in plerisque illis peregrinis terris fuiſſet hoſpes, eam in quavis lingua conſecutus eſt facultatem, ut non tantum coram Legatis ornate dicere, verum etiam ad eruditiſſimorum virorum literas, quócunque mallent idiomate, reſpondere potuerit.

tuerit. Notæ insuper, quibus Rosarium suum illustravit, eum non præpostero conatu in altiores doctrinas humanioris literaturæ ruisse, & dedicationes, eloquentiæ præsidio non fuisse destitutum, luculenter testantur.

III.

Quamvis vero animum illis linguarum occidentalium literis imbibendis non segniter applicaret; amor tamen erga orientales linguas omnia alia studia facile superavit. Nescio sane, an GENTIO fortassis cum aliis hæc arriserit opinio; Solas linguas orientales salire, occidentales fluere, meridionales currere, septentrionalibus plane repetentibus. c) Hoc interim pro certo teneo, GENTIVM orientalium Linguarum studium ad stuporem usque & multorum excoluisse admirationem. Arabicæ linguæ causa Lugdunum adibat, & cum semel illius dulcedine vere captus esset, tam longinquum iter in Orientem, ut Musas orientales intimius perscrutari posset, magno cum desiderio suscepit atque periculo. Quantum autem autem operæ &

c) v. Summe Venerabilem Val. Ern. Lœscherum de Causis Linguæ Sanctæ p. 4.

temporis huic rariori cognitioni amplificandæ Conſtantinopoli impenderit, id libri iſti, quorum verſionibus orbem eruditum locupletavit, ſatis ſuperque demonſtrant, & nos, quam prudenti conſilio linguas orientales GENTIVS excolendas inſtituerit, paucis jam ſupra indicavimus. Tantum vero abeſt, ut linguarum ſtudio unice deditus ſeveriores diſciplinas neglexerit, ut potius his ſubſidiis adjutus profundius in eas penetraverit. Legali proinde ſcientiæ operam dedit, eaque in illis, quibus a Saxone Sereniſſimo admotus eſt, officiis feliciter uſus eſt. Nec dubium, eum excellentiorem ſtatus rerumque publicarum notitiam nactum eſſe, dum ad Auguſtiſſimum Cæſarem aliosve Principes ſæpius ablegabatur, cum quibus certe graviſſima ipſi pertractanda fuiſſe negotia perſuaſi ſumus. Tandem non ad poſtremas Noſtri laudes pertinebit Medicinæ ſcientia, quam multo ſtudio atque exercitatione ſibi comparavit. Cum enim jam iter Conſtantinopolitanum meditaretur, & Orientem efficaciſſimorum medicamentorum per quam feracem eſſe, ſecum cogitaret, ſcientiam rei herbariæ, quam Βοτανικὴν Græci vocant, ex curioſiſſimi plantarum ſpectatoris CONRADI VORSTII inſtitutione

tione prius hausit. d) Tam prolixam vero morborum cognitionem tantamque salu-

F 2

berri-

d) Constat hoc ex Epistola Vorstii ad Gentium data, quam hoc loco, commode interseri posse putamus.

εὖ πράττειν

Quod iter Constantinopolitanum, jamdudum meditatum tibi, Juvenis ornatissime, propediem ingredi decreveris, ex tuis hesterna vespera ad me perlatis non invitus cognovi. Non possum, quin laudem maximopere præclarum illud tuum institutum, a generoso quodam animi impetu, &, quod palmarium puto, φιλομαθείας abundantia profectum. Deus O. M. propitius sit tam honestis conatibus, teque salvum ducat ac reducat, corporis animique dotibus auctiorem. Quandoquidem vero arbitraris, rei herbariæ cognitionem usui tibi in longinquis istis oris futuram, scribis in animo tibi esse, primo quoque die ad nos advolare; quo breve illud temporis spatium, quod tibi restat ad eam profectionem, huic studio dare possis, consilio & opera nostra adjutus; optassem equidem, ut maturius paulo ea de re cogitare cœpisses, & ut unam saltem æstatem ei impendisses; non enim, ut ipse facile comprehendis, pauculorum dierum ista contemplatio est. Attamen, quia aliter fieri jam non potest, & vel rudi aliqua imbui herbarum scientia non inutile Tibi fore censes, per me licet, uti huc venias quamprimum. Patebit tibi hortus

Aca-

berrimorum medicaminum ſupellectilem ex Oriente attulit, ut ejus cura plures ex Gangræna, Cephalalgia, Epilepſia, Apoplexia aliisque morbis feliciter convaluerint. e) Inprimis hanc artem ſenex, cum non haberet amplius unde vivere poſſet, exercuit. Inter ea, quæ in arcanis continuit,

Academicus, patebit domus mea, & quantum temporis brevitas, meæque occupationes patiantur, dabo operam, ne de mea humanitate & prompto erga præclara ingenia animo dubites amplius. Vale & ſalve a me plurimum cum VV. CLL., amicis veteribus Voſſio & Barlæo. Doleo ex animo, optimum quemque ex Voſſianis liberis præmatura morte abripi: verum hæc non ſine numine fiunt: quocum quis audeat expoſtulare? Dabam raptim. Lugd. Bat. Ao. cIↄ Iↄ CXL. XXIV. Martii

Tibi Tuisque virtutibus addictus
Adolphus Vorſtius.

e) Ea propter fide dignis teſtimoniis a Chriſti. Rehboldt Med. Doct. eſt inſtructus, quæ, medicamenta ejus anno 1681. in multis peſte jam infectis rurſus liberandis, pluribus etiam a lue iſta præſervandis efficacem præſtitiſſe operam, aſſeverant. Quid quod Vir Clariſſimus M. Jo. Gideon Gellius, Scholæ Crucianæ Dreſd. Con-Rector meritiſſimus, ſemetipſum teſtem oculatum fuiſſe, meminerit, Gentii medendi peritiam ſe præcipue in curandis iis,

tinuit, præparationem Lapidis Lazuli f)

iis, quos peſtis contagium afflaverat, exſeruiſſe. Nec exigui momenti iſta ſunt teſtimonia, quæ Gentium in caſtris Brandenburgicis prope Stetinum factis quamplurimis militibus & infantibus in variis graviſſimis morbis diligenter tuliſſe opem, diſerte loquuntur.

f) ad Gentium:

Vir Clarisſime.

Vt petitioni ſatisfacerem, hæc pauca tibi mitto. *Lapis Lazuli* Græci vocant *κυανὸν* ut Dioſcorides atque alii. Arabes enim eum cum Armenio confundunt, cum revera diverſi lapides ſint, licet iisdem uſibus inſerviant. Horum doſis eſt Scrup. IV. paulo plus minusve pro ſumentis viribus, ut tradunt Medici haud vulgares. Sed iſto nunquam utor, nec unquam uſus fui. Nimium enim turbat.

Tuæ Clarit.

addictiſſimus
H. Bonnius.

Procul dubio hujus lapidis, qui a latinis ceruleus lapis dicitur, denominatio eſt Arabica, utpote quibus *Hager* aut *Azul* dicitur, unde *Aſuri* aut *lazuli* deſcendiſſe, non temere conjicit Anſelmus Boetius de Boodt Hiſt. Gemmarum & lapidum, Hanov. 1609. 4. p. 139. qui etiam fuſius de ejus proprietatibus & virtutibus agit. Præterea annotat Franc. Imperatus, quod Lapis Lazuli durus ſit, minime arenoſus, interim tamen nonnullis

lazu-

Lapidis Bezoardici, g) cujusdam opii atque præſentiſſimi antidoti numeramus. Studiis

---

lazulum pro cœruleo ex errore ſumatur. In Opuſculo de Foſſilibus. Neapoli. 1610. p. 79.

g) Gentius more Perſarum antidota ſua ex lapide hoc præparavit, unde etiam Arabes, quæcunque venenis adverſantur, vocabulo a Perſis mutuato Badezaharon appellant; Sunt tamen, qui Lapidi huic eandem virtutem abjudicant, quos inter referendus eſt Frid. Slare *in Experiments and Obſervations upon Bezoar ſtones. London* 1715. 8. Cæterum conſtat, duo ejus genera dari. Datur 1. Orientalis, qui ex India orientali, Perſia, Ægypto, de quo Carolus Cluſius & Jo. Nierembergius commentati ſunt. 2. Occidentalis, qui ex America & Peruvia adfertur. videſis Charletoni Onomaſticon zoicon, in Appendice de variis foſſilium generibus. Lond. 1668. 4. p. 285. confer etiam Mich. Mercati Metallothecam, quam edidit Jo. Mar. Lanciſius cum notis Romæ. 1719. f. p. 173. ſeq. Addimus hoc loco, quod ex Oriente attulerit inter alia lapidem, quem Matthiolus deſcripſit, ſed nunquam vidit nec habuit. Cujus deſcriptio ex epiſtola Gentii hæc eſt: *Gignitur in bubulo felle lapis quidam nonnunquam ovi magnitudine, croceo colore, facileque friabilis. Cujus Dioſcoridem meminiſſe non reperio: Hic, ut plerique perhibent autores, potus veſicæ calculos comminuit, naribus inditus viſum mirifice acuit; & aquam in oculos fluentem inhibet. Tritus lentis quantitate & betæ ſucco*

diis itaque, quibus excelluit Nofter, utcunque memoratis, ad eruditionis monumenta, quæ GENTIVM inter mortales verfatum effe teftantur, enarranda fumus perrecturi.

IV.

Sola prudens librorum fcriptio æternam parit gloriam, cætera enim omnia fragilia & caduca non minus quam ipfi homines occidunt deciduntque, & quamvis eruditi nonnulli fatis iniquis deprimantur, femper tamen de eorum libris, qui non inconfiderate fuerunt fcripti, fatis præclare exiftimatur, & quidem illo præcipue tempore, quo ftudia antea contemta ad priftinam fuam dignitatem redierunt. Si exafciatiffimos GENTII noftri, quibus præteritum feculum ornavit, libros contemplemur, meliori utique illum fortuna fuiffe dignum, nihilominus tamen monumentis doctis a mortalitate fe adferuiffe, nos fateri oportet. Eum certe in finem nomi-

co commiftus, & in errinis naribus attractus, Comitialibus fubvenit. Non defunt etiam, qui eum magno fucceffu ex vino exhibent potandum felle fuffufis: quod oculatus teftis adferere poffum. Certe ob raritatem & fingulares dotes æftimari vix fatis poteft. Gentius donavit Mullero Senat. Hamb. & deinde plusquam ducentis thaleris æftimavit.

namus *Rofarium Politicum*, quod magno apud omnes harum literarum arbitros in honore habetur, & a plerisque, qui Perfarum voces & fententias penitius nofcere cupiunt, accurate ftudiofeque lectitatur. Cumque hujus libri verfio palmam reliquis ejus fcriptis præripiat, primo etiam loco ea, quæ ad hujus *Rofarii* varias editiones & argumentum adtinent, fumus enarraturi. Titulus libri hic eft: MVSLADINI SADI *Guleftan, five Rofarium Politicum Perficum, cum verfione latina & notis* GEORGII GENTII. *Amftel. e typographia Joh. Blæv 1651. fol.* Vt de autore ipfo pauca prælibemus: hic SCHEICH MVSLADINI SADI Cyropolim five Schiras urbem Perfidos longe jucundiffimam, patriam habuit, &, laudante GENTIO, h) fuit vir eruditione feculi fui facile princeps, nec ulli variæ & longinquæ peregrinationis gloria fecundus. *Guliftan*, quod elaboravit, in Perfide patrio fuo folo, India, Arabia & Turcia ubique eft celeberrimum & defideratiffimum. i) In eo variæ fortunæ exempla, religionis

h) Refero hæc ex præf. Gentii ad Rofarium Polit. plura qui defiderat adeat Barth. Herbelot dans la Bibliotheque Orientale. p. 729.

i) Quanto in pretio olim fuerit & hodienum etiam

ligionis naturalis dogmata & morum præcepta magna cum ubertate traduntur. Id-

F 5 que

etiam ſit Saadi *Guliſtan*, id teſtatur Auguſtus Pfeifferus, quippe qui hunc tractatum ad aſtra Poli ab ipſis evehi Perſis, ſcribit in Critica S. p. 424. quam etiam ob cauſam Perſicæ elegantiæ ſtudioſis ſedulo commendat, huic aſſentitur Jo. Henr. Hottingerus in Archaiologiæ orientalis Cap. III. ubi de Perſarum ſtudiis tractat. Ex roſario, inquiens, notari poſſe, quas nobis Perſia & Perſica lingua pollicetur delicias. conferas heic Sagittarium in Exercit. ad Juſtin. l. XVII. p. 129. conf. Wagenſeilii Sota p. 1227. Præterea Barth. Herbelobius brevem ſed ſufficientem hujus moralis & ſententioſi libri deſcriptionem dedit l. c. *Guliſtan, Jardin ou Parterre de roſes. C' eſt le nom d' un Ouvrage fort eſtimé dans tout l' Orient composé en langue Perſienne & melé de proſe & de vers, par le fameux Saadi Schirazi Mosleddin l' an 1656. de l' Hegire Gentius l' a traduit en Latin & lui a donné le nom de Roſarium Politicum.* Codices libri hujus MSti noſtris in terris ferme multi extant, Vindobonenſes recenſet Dan. de Neſſel in Catal. Biblioth. Vindon. p. 156. &c. Lipſienſes Gottfr. Chriſti. Gœtzius in Programmate, quo Bibliothecam Senat. Lipſ. aperiendam indicat p. 24. Dreſdenſium mentionem ipſe aliquam feci in Epiſtola ad virum Ill. Jo. Dieter. de Schönberg, Mæcenatem Summum ſcripta, ut taceam plures levi ſæpius pretio comparatos videri in Belgio, Anglia, Gallia, aliisve paſſim in lo-

cis,

que ipſum eſt, quod GENTIVS, poſtquam in Perſia, Roſario nativo, ea, quæ huic autori illuſtrando forent opus, ex graviſſimorum virorum in Oriente inſtitutione hauſerat, civitate latina & notis donatum edidit. Heic noſter ſuas vires, quas in Lingua Perſica nactus erat, non tentaſſe, ſed ſuperaſſe plane, intelligentioribus videtur. Dictio enim, qua utitur, eſt pura, & quæ Perſa pro more Orientalium magnifice eloquitur, ea non minus graviter quam jucunde transferuntur, præterea in notas tam varia, tam multa tam recondita ex omni eruditione conjecit, k) ut nihil fere ſuperſit, quod in tam docto libro explicando & illuſtrando deſiderari poſſit. Excuſus eſt liber perſice ac latine Amſtelodami, & ſumtus ad typos Perſicos parandos a Principe Sereniſſimo JO. GEO. II. fuerunt ſuppeditati, cui poſtea a GENTIO inſcri-

cis, etiam in privatorum Bibliothecis, ut in Bibliotheca Hinckelmanniana quondam extitit teſte Sebaſt. Godofredo Starckio in Catalogo.

k) Hinc doctiſſimus Geo. Hier. Velſchius in Exercitationibus de Vena Medinenſi notas Gentii ad Saadi Roſetum pereruditas, & Gentium ipſum virum doctiſſimum appellavit p. 51. & p. 169. adde, quod varias ejusdem de rebus Orientalibus ſententias annotaverit. p. 230.

inſcriptus & quaſi conſecratus eſt. l) Principem autem librum iſtum cum egregia benignitatis ſuæ ſignificatione accepiſſe, literæ

l) Epiſtolam Dedicatoriam transmiſerat Gentius perlegendam Ill. Friſio, hic poſtea illi reſpondit ſequentem in modum: De Epiſtola illa ad S. P. quicquid dixero, erit infra æſtimationem noſtram. Noli itaque me putare adeo ineptum aut male feriatum, ut ſcriptioni ab ingenii tui accuratiſſimi lima elaboratæ ac modis omnibus perpolitæ aliquid præſumam accedere nitoris poſſe vel decoris a mea manu? Dicam ingenue, quod ſentio, absque omni fuco & fallacia. Meras roſas, merum nectar & ambroſiam ſpirat iſta pagina, cujus fragrantiſſimis odoribus ita me adflatum ſentio, ut magnas merito tibi grates habeam, qui me hoc genere reficere, atque conſilium, quod dederam, exſequi tanto cum affectu ſtudioque non ſis dedignatus. Non te pigebit olim. Si quid veri præſagit animus, tam præſtantis incœpti. Ipſe S. P. cui hæc opera conſecratur, mirifice probat, & inſtitutum hoc tuum, cujus gratiam apud eum fore arbitror haud levem, & cætera, quæ agere inſiſtis, prono favore proſequitur. Itaque editionem, qua pote, urgendam ſuadeo, ut elegantiſſimo munere animum S. P. hiantem atque in ſpem jam arrectum explere quamprimum liceat. (Et in alia epiſtola:) Paratus eſt Ser. Princeps liberaliter ſuppeditare ſumtum, unde operis fiat ſatis. Ducentos imperiales in eam rem nuper flagitare viſus es. Statim annuit Prin-

teræ iſtæ, in quibus Ill. Henr. Friſius GENTIO gratiam Principis declarat, ſatis oſtendunt. m) Sed cum plures eſſent eruditi, qui,

Princeps &; negotium nummorum curandorum dedit Dno Vogtio. Porro:

Dedicatio tui plane arbitrii erit: nec enim decorum cenſet is, quem dixi, S. Pr. alieni officii fines regere contractius & moroſius, quam æquitas poſtulat.

m) Paucis præmiſſis, quæ alio pertinent, ita pergit: -- Cum enim librum tuum, quem ſummo atque incomparabili Principi inſcripſiſti, offerendi, te rogante, in me ſuſcepiſſem provinciam; id quoque ſimul negotii mihi datum credidi, ut de ejusdem benigna & munifica voluntate, qua fœtum hunc ingenii Tui longe præſtantiſſimum complecti dignatur, nonniſi certa atque explorata Te edocerem: Id quoniam in hunc diem mihi facere haud licitum eſt; ne literis quidem inanibus aut ambiguis Teque ac me ipſum morari ſcilicet operæ pretium habui. Noli enim putare potuiſſe quicquam gratius aut optatius adeo offerri dicarique Ser. Principi, illo tam illuſtri & præclaro prudentiæ ſapientiæque theſauro: de quo etiam in linguam vernaculam vertendo cogitandum Tibi haud dubie arbitror, ſi plenum hujus beneficii Tui fructum conſtare Tibi cupis; hoc enim volupe Tibi fore haud obſcure præ ſe tulit Sereniſſimus Princeps jam tum, cum primum iſtius codicis inſpiciendi copiam per me nanciſceretur. Quo vero loco,

qui, etiamsi Persicæ linguæ inscientes, argumenti tamen dignitate ad lectionem Rosarii abripiebantur; GENTIVS consilium cepit de editione latinæ Versionis nova, quam etiam in folii parte, quæ dicitur, duodecima procuravit sub hoc titulo: *Rosarium Politicum sive amœnum sortis humanæ Theatrum de Persico in Latinum versum & notis illustratum. Amst.* 1655. ad Potentissimum Suecorum Regem Carolum Gustavum

co, quave æstimatione illi habeatur tam rarus atque optima fruge refertus liber, hinc Tibi liqueat, quod & statim inter cimilia interioris cubiculi illum reponendum curavit, quo frequentiore ejus adspectu sic quotidie uti fruique posset, sed & de industria Tua atque opera in ejus editionem impensa remuneranda continuo susceperit curam sane liberalem & Principe tanto dignam; cujus haud pœnitendos olim fructus jam nunc Tibi polliceri potes. Interea vero compensandis aliqua ex parte laboribus sumptibusque, quos hoc nomine factos a Te oportuit, 400. ipsos imperiales, hoc est, mille florenos Hollandicos decretos Tibi nuncio: ea quidem lege, ut ejus summæ partem dimidiam proximis hisce nundinis brumalibus Lipsiæ habendis ad Te perscribantur; reliquum vero tum de manu Sereniss. Principis ipsemet accepturus tum sis, ubi primum revisendi Tui copiam feceris: id proximo vere futurum propitio Numine auguramur. &c.

vum hujus libelli dedicatio directa eſt, quam tamen Seren. Saxo potiori jure ſibi vindicare poterat. n) Imperator FERDINANDVS III. JO. GEO. II. & Status fœderati Belgii noſtrum ſuper editione hujus Roſarii & omnium, qui deinceps memorabuntur, librorum facienda privilegiis donaverunt, & ne quis libros iſtos recudere vel in aliam linguam vertere auſit, inhibuerunt; nihilominus ADAMVS OLEARIVS Roſarium in germanicam linguam a ſe verſum citra voluntatem & conſenſum GENTII evulgavit, quo factum eſt, ut GENTIVS poſtea cum OLEARIO contentionis ſerram reciprocaverit, & hunc multorum errorum in verſione iſta commiſſorum inſimulaverit. o)

V.

n) Proſtat in eadem forma itidem anno 1655. cum figuris æneis editum & Leopoldo Archiduci Auſtriæ & Regi Bohemiæ dedicatum.

o) Idem Olearius conſilium antea ceperat, Roſarium Politicum Romanam in dictionem vertere, at mutavit: *Weil ich, ſchreibet er, vor drey Jahren in Holland von Herrn Georgio Gentio, der Orientaliſchen Sprachen wohlerfahrnen, meinem guten Freund verſtanden, daſs er eben dieſes Buch in Latein heraus zu geben willens, alſo* &c. Olearius in verſione ſua conficienda uſus eſt opera Perſæ nomine Hakwirdi, quem per quinque annos domi ſe-

V.

Sequitur ספר שבט יהודה id eſt *Hiſtoria Judaica*, *Res Judæorum ab everſa æde Hieroſo-*

mi ſecum habuit. Et quantum ex Olearii literis cognoſcimus, Gentium ipſum interdum rogavit, ut ſibi unum alterumve locum Perſarum exponeret. Verſio Olearii hunc in fronte gerit titulum: Saadi *Perſianiſcher Roſenthal verdeutſcht durch Adam Olearium. Schleßwig 1654. fol.* Damnum inde metuens Gentius, quæcunque hac in verſione notare poſſit, conquiſivit & propalavit, quod ægre ferens Olearius ſequentia epiſtolæ cuidam adjunxit:

Ada: Olearius. Gottorpii d. 5. Aug. 1658.

Cæterum Cl. V. jam annus eſt, & quod excurrit, quod literas ad te dederim, fruſtra hactenus expectavi reſponſionem, dubito itaque, an ad manus pervenerint nec ne? Summa autem argumenti erat, quod ad aures meas pervenerit, te dicteria quædam in me effudiſſe & meam Perſici Roſetti translationem vituperaſſe, petii, ſi feciſſes, ut tanquam vir candidus famæ meæ parceres, quia de te non meruiſſem, & ſi quid erroris in translatione mea germanica aut aliud quid fuiſſet commiſſum, ut amicus amice moneres, ego poſſem etiam errores quosdam oſtendere in tuo Roſetto, quos tamen non tibi ſed MS. quæ in variis variant, adſcribere volui, prout in præfatione indicavi & tuam eruditionem commendavi. Optima quæque mihi de te promittam & non patiar labefactari noſtram amici-

erosolymitana ad hæc fere tempora usque complexa, de Hebræo in Latinum versa a GEO. GENTIO. *Amstelodami apud Petrum Niellium 1651. 4.* Liber ille a præclaro medico, qui vixit Seculo XV. vergente, R. SCHELOMO BEN VIRGA fil. JEHVDA Hispano conscriptus est; Inscripsit illum *Sceptrum Judæ*, p) sed GENTIVS Romana civitate donatum historiam rectius pro argumenti ratione salutavit. Septem capitibus historia ista absolvitur, quæ GENTIVS in Præfatione sua determinat & ex ea Summe Rev. JO. CHRISTOPH. WOLFFIVS adlegat. Præcipuam autem otii sui, quod ipsi primis annis Constantinopoli superfuit, partem

amicitiam & rumore vulgi. Ego neminem lacesso, ne in me etiam sine causa fiat, velim. Eadem mihi mens est ac Terentii sub finem prologi in Andria.

p) *Sceptrum Judæ* appellavit hac ex ratione, quod regnum Judæ per Messiam ex tribu Juda oriturum propediem restitutum iri credebat? vide laudati Wolffii Biblioth. Hebræam, qui hunc librum sæpius prodiisse dicit etiam Germanice Cracoviæ 1591. & Amstelodami 1648. ut & an. 1700. Plures etiam Hebræas editiones sine mentione anni recenset Gentius in præfatione, interque versiones Lusitanicam simul adlegat. Prima editio Hebræa

partem huic labori impendit, præceptoris ſui MENASSIS BEN ISRAELIS conſilio excitatus, utpote qui variis negotiis diſtractus verſionem, quam ipſe propoſuerat, GENTIO reliquit curandam. Quam provinciam Noſter ſibi quam lubentisſime ſumſit, cum Patronum ſuum GENEBRANDVM ANSLONIVM ad beneficia augenda ſubinde excitare opus haberet. Ad hunc etiam primam Hiſtoriæ editionem inſtituit, ut quidem ex MSto, quod an. 1643. ex Conſtantinopoli ad eximium virum miſit, perſpicimus. Sed non prius lucem publicam, quam anno 1651. vidiſſe, nobis perſuadet editio Amſtelodamenſis, quam Senatui Hamburgenſi dedicavit. Non multum autem aberat, quin GENTIVS magnum famæ ſuæ periculum libro iſto ſubiiſſet. q)

Hebræa Pragæ prodiit, ſicuti nos docet Langlet du Freſnoy, hic enim, Verſione Gentii recenſita, ita pergit: C' eſt ici ſeulement une verſion, dont l' original Hebrew avoit été imprimé à Pragues en 1609. *voy* Methode pour etudier l' Hiſtoire. Paris. 1729. 4. Tom. III. p. 91.

q) Niſi Gentius Hiſtoriam ſuam Judaicam eo ſtatim tempore edidiſſet, Hamburgenſes ipſum certiſſime ad Profeſſionem Linguarum Orientalium, mortuo Ægidio Gutbihrio, vocaſſent. Poſtquam

Hamburgenſes enim Verbi divini Miniſtri dedicationem hanc Senatui factam ægre ferentes in GENTIVM e ſuggeſtu publice acerbisſimis ſunt invecti verbis, quod gentem occœcatam nimis laudaverit, & notas, quas in præfatione ſperare jusſit, nec non refutationem, qua in hoc libro inter Chriſtianos evulgando cumprimis opus eſſe videbatur, adjungere neglexerit. Quo de diſſenſu iſtæ, quas infra adjecimus, literæ M. JAC. GROSSII ad D. Catharinæ templum Paſtoris teſtimonium poſſunt perhibere. r) Quamvis vero GENTIVS odium S. R.

vero in Dedic. ad Senatum Hamb. hujus gentis conſervationem liberius commendaverat, propoſito deſtiterunt; & inprimis ſequentia verba non poterant non diſplicere: Vos quoque Proceres nobiliſſimi, cum pari ſtudio Judæorum gentem habeatis, laudatiſſimo more atque exemplo, pietate potius ſervare quam ſevera diſciplina excludere, eos tanquam deperditas Chriſti oviculas colligere quam diſſipare mavultis. - - - Pergite, ſervare inſigni veſtra pietate, quos Chriſtus Servator noſter ſervare ipſe voluit, nobisque ſervandos ſerio præſcripſit.

r) Ad quemnam hæc epiſtola fuerit exarata, id ipſum nos latet, eſt autem ſequentis tenoris.

Felix novi auſpicium. S. P. Rev. & Clariſſ. Dne Ma: frater & amice perquam dilecte,

Cum

S. R. miniſterii Hamburgenſis inſcius for-
G 2 taſſis

Cum D. Geo. Gentius conqueſtus ſit, ſibi & Hiſtoriæ Judaicæ ex Hebræo in Latinum Idioma converſæ autori vim a me publico ex ſugggeſtu illatam eſſe, operæ pretium fore ratus ſum, ſi de eo, quid hac in re actum ſit & quid non, vos certiores facerem. Verum eſt, quamprimum liber iſte Amſtelodamo huc ad D. Mullerum miſſus fuit, D. Mullerus mihi & Collegis meis ſtatim exemplar miſerit, egoque ſequenti die in actu funebri eidem D. Mullero pro transmiſſione libri gratias egerim & librum iſtum plane intempeſtive huc veniſſe & Senatui noſtro dedicatum eſſe dixerim, cum jam toti ſumus in eo, quomodo orthodoxus illis Profeſſor in lingua Ebræa & ſcriptis ſeu Commentis Rabbinicis probe verſatus Judæis hic receptis poſſit præfici, qui ex oraculis propheticis, quæ Judæi fatentur eſſe θεόπνευστα, in conventu Judæorum tamdiu demonſtret, Meſſiam in V. T. promiſſum jamdudum veniſſe & fruſtra ab iis alium expectari, donec nemo Rabbinorum ulterius extra textum propheticum aliquid excipere poſſet, num fortaſſis hoc quaſi prædicati verbi divini chalybe igniculus fidei Chriſtianæ in animis Judæorum, Deo annuente, poſſit accendi, ut ſi Judæi ex V. T. convicti ſe convertere nolint, nos & Senatus & cives bonæ conſcientiæ teſtimonio freti culpam in σκληροκαρδίαν Judæorum rejici debere, videremus. Librum autem iſtum a Medico Judæo Salomone ſcriptum hunc ſibi præfixum habere ſcopum, dixi, permit-

tendum

taſſis in ſe concitaſſet, a Senatu tamen centum

tendum nempe eſſe Judæis, ubi illi vivant, vivant, qua lege velint. p. 5. ait autor, Perſas tandem palam confeſſos eſſe, ſe Judæorum cauſa cladem adeo gravem ab Arabibus accepiſſe & proinde & Perſas & Arabes Judæis, ut, qua vellent, lege viverent, permiſiſſe. p. 7. cum Rex ben Humrat ad defectionem a lege Moſaica Judæos cogere cœpiſſet, ille intra menſis ſpatium repentina morte extinctus perierit, filius ejus ſucceſſor prudentior factus Judæis liberum permiſerit, ut crederent, quod vellent. Hoc autem piæ intentioni Rev. noſtri Miniſterii, quod jam ultra ſemeſtre reſponſum a M. Senatu per Dominos Commiſſarios D. Syndicum Murerum & 2. Senatores Licent. Juris cum deſiderio expectat, penitus & e diametro adverſatur. Et inde librum iſtum intempeſtive huc veniſſe & Senatui dedicatum eſſe, ad D. Mullerum dixi. Publice autem cum in Feſto Michaelis Peruſſi mandatum ſectis oppoſitum finita concione legiſſem, ne verbulum quidem de D. Gentio, ſed unice de libro iſto a Medico Judæo conſcripto & eo divulgato dixi: librum hunc non tantum fabuloſum ſed etiam alicubi impiiſſimum eſſe, inprimis p. 341. ubi ad tertiam cauſam, ob quam Judæi Chriſtianis ſunt exoſi, eſſe cædem Jeſu Nazaræni neque fruſtra Moſen Exod. 24. dixiſſe; ſi mactavimus abominabiles Ægyptiorum Deos in conſpectu eorum, nonne lapidibus nos obruent. Cum ergo Jeſum Nazarenum eodem loco habent, quo Moſes

tum Ducatorum præmium retulit. Anno 1654.

ſes Ægyptiorum abominabiles Deos, annon hæc aperta eſt blaſphemia? p. 206. negat incarnationem filii Dei, p. 302. negat Chriſti divinitatem & paſſim extollit Judæorum innocentiam, virtutes, rectitudinem, felicitatem, contrario autem ſcelera Chriſtianorum, quod in innocentes Judæos machinati ſunt, plenis buccis decantat, & Chriſtianos ut homines flagitioſos paſſim traducit. Vehementer tripudiat iterum, cum Rex Alphonſus audiſſet Monachum ſuum contra Judæos concionem eſſe inſtituturum, Rex dixerit: Perierit monachus, ſi vel verbum contra vos hiſcere audeat. p. 121. Proverbium Alphonſus dixit, periiſſe aquam baptiſmi in Judæum effuſam, p. 54. Librum Judæi Salomonis filii virgæ virorum cenſura dignum eſſe dixi. Contra Gentii latinitatem & ſtudium nihil dixi: mentitur qui idem ait. Hoc privatim ad Collegas dixi: me in Gentio hoc improbare, quod ipſe Judæos modernos perditas Chriſti oviculas vocavit: cum tamen nunquam vocem Chriſti ἀρχιποιμένον agnoverint. Hirci ſunt, non oves Chriſti. In præf. Exemplum Abrahami non ita accommodavit, ut debuit, ut Abrahamus Ignicolam tandem ad verum Dei cultum perduxit, ita Senatus dicitur bene meriturus eſſe, ſi eos paulatim ad Chriſtianam Religionem perduceret. Tertio quod non ſtatim notas & animadverſiones in Anti-Chriſtianum librum addidit. Judæi hic loci exultant, & Rev. noſtri Miniſterii conatum de Judæis aliter informandis

1654. *Historiam Judaicam* recudi curavit, s) quam vero editionem alteram, excepto die ac

mandis hoc libro apud Senatum nostrum prostratum iri existimant. Si D. Gentius crassos Judæi istius errores in notis quibusdam statim refutasset, de Ecclesia Christiana bene meritus fuisset. Ita libere sentio. Rogo ut R. & C. D. M. Dno Gentio prælegat, hoc autem autographum meum mihi prima occasione remittat & restituat, cum per occupationes non describere potuerim, enixe contendo. Autoritate Illustrium Ordinum Belgicorum nemo debet abuti. Rogatum etiam volo, ut hanc meam sententiam R. & Cl. Taddelio Collegæ suo etiam prælegat, ut, quod improbatum sit in dicto libro, agnoscat, & data occasione aliis non recte informatis referat; ne alii id in vestram alias pressam Ecclesiam Lutheranam falso retorqueant. Valete in Christo. Dab. Hamb. 30. Xber. 1651.

R. T. Cla.

Stud.
M. S. Groff.

Privatum meum de D. Gentio judicium. Tersam ipsius latinitatem laudo, sed hæc tria improbanda esse duco. Num Illustres Status & ordines provinciarum hanc blasphemiam expenderint, nondum adducar, ut hoc credam.

s) Dedicationem Seldeno attributam luci publicæ

ac conſule, titulo & præfatione, cum prima
G 4 pror-

blicæ ut ſiſtamus, nos movet ſcriptionis elegantia pariter ac materiæ dignitas:

VIR ILLVSTRIS.

Prodit nunc iterum Hiſtoria noſtra Judaica, quam jure merito Illuſtri tuo Nomini inſcribo; quod niſi facerem, tuo hercle illuſtri Nomini & huic libro maximam injuriam facerem & fructiferam arborem non in ſuo horto & ſolo; ſed ſterili deſerto plantarem: ex quo equidem jactura arboris fieret, & tui Nominis ſplendor obſcuraretur. Quin eveniret idem, quod quondam Perſarum Regis accipitri eveniſſe hiſtorici tradunt: cum Rex venatui acrius eſſet intentus, accipiter prædæ ardore longius a Rege & ejus conſortio avectus, hinc inde oberrans, tandem in pauperculæ ruſticæ caſa feſſus conſedit. Ruſtica, ave conſpecta, ejus nitorem, ornamenta & manſuetudinem mirata, mox manu porrecta eam ad ſe allicit, allectam propius intuita, roſtrum videt aduncum, hic illa continuo infit: O mea avis, ubinam terrarum vixiſti? & quæ iſthæc fuit hominum deſidia, & ſecuria tui, quod iſtud roſtrum tondere neglexerint? Mox arrepta forfice roſtrum illi præcidit. Hinc ad ungues progreſſa ait: O fœdos homines, qui tibi ungues iſtos non demſere. Mox forfice & illos abſtulit, & reginam avem per ſummam imperitiam roſtro & unguibus fœde mutilavit. Rex interea temporis de ſua ave ſollicitus, eam undique anquirit, tandem apud ruſticam ita miſere fœdatam deprehendit: qua

prorſus convenire, judicat JO. SELDENVS, ſummus orientalium Literarum quondam vindex. t) Quod ad verſionem

qua viſa Rex iratus exclamat: Sic ſane omnis habetur virtus, quæ in imperitorum manus inciderit: iſti enim nil, niſi virtutis laniones & carnifices eſſe ſolent. Hoc ne libro noſtro eveniat, tuo Illuſtri ingenio eum inſcribimus, ut qui non tantum orientalium rerum ſummus es æſtimator; ſed maximus quoque cultor, quod ipſum tua eruditiſſima ſcripta ubique abunde teſtantur. Tu, itaque, Vir Illuſtris, in hortum tuum recipe, tanquam in genuinum ſolum, hanc Hiſtoriæ Judaicæ ſtirpem, & ad Chriſtiani nominis amplitudinem & gloriam fove & cole: nam multa continet, quæ ſi Judæi ipſi, clariore luce illuſtrati, incerta eſſe agnoverint, nullus dubito, quin ad Chriſtianam pietatem ſeſe ultro converterint: atque nimis quam velim, ut Tu facem iſtam accendere & ſtirpem hanc quibusdam inutilibus ramis acutiſſima judicii tui falce amputatis expurgare digneris; quorum denſiſſima luxuriantium umbra ipſis Judæis omnino obſtat, quo minus Chriſtianos fructus producant. Quod ut facere velis, ut potes, horto tuo magnam attuleris culturam, & genti iſti, per ignorantiæ tenebras aberranti, clariſſimam facem alluxeris, & Chriſtiani, tuique nominis gloriam plurimum auxeris: quod utique ex animo opto atque voveo. Amſtelod. Id. April. ann. 1654.

t) Seldenus enim, qui, hanc inter & primam editio-

onem ipſam attinet, ea judicio venerabilis WOLFFII, elegans quidem, ſed nimio & adfectato latinitatis ſtudio facta eſt. Et GENTIVS ipſe in literis ad JO. SCHELHAMMERVM datis hoc de ſua Hiſtoria

editionem nihil plane diſcriminis (excepta Epiſtola Dedic.) eſſe, primo quaſi conſpectu animadvertebat, vitio utique vertit Gentio, quod novam hanc Dedicatoriam Epiſtolam addiderit, quare id factum, ſe neſcire fatetur in Epiſtola ad amicum Amſtelodamenſem anglico idiomate exarata, quæ jam ſequitur:

Wor thy Sir

Iwould gladly be inſtructed. and Ikrow not how Imay ſo well as from you. There is a perſon of ſingular worth, that lives Ithink in Amſterdam (Georgius Gentius) whom Iknow only by what he hath published in Eaſtern learning. Some few daies ſince Ireceived a letter from him with two books titled Hiſtoria Judaica in 4. Amſtrod. 1654. a translation by him out of the Jew that wrote it. The two I mean being two printed copies of the ſame. Before the book there is an Epiſtle dedicatory to me, farre above my merit. His called Editio altera. And it is tzue, that in 1652. it was there published, but with an Epiſtle Dedicatory to the ſtate of Hamborough. And I am confident, that, though it he in ſome ſenſe Editio altera, get the whole book is the ſelf ſame Paper & ink of the firſt. Only my name and the Dedica-

fert judicium: *habet illa quidem aliquid, quod os Judaicum redolet, ſed illud mirari nos non decet; quia homo Judæus ſua ſacra defendit, quibus nos omnibus obviam brevi, Deo favente, ſerio ibimus.* Refutationem autem promiſſam fruſtra expectarunt eruditi, nosque nihil in MStis reperimus. Præterea GENTIVS, cum totum opus MAIMONIDIS יד חזקה vertere propoſuiſſet, a verſione tractatus ſecundi dicti operis incepit, illumque ſub ſequenti titulo edidit: הלכות דעות ſive *Canones Ethici R. Moſeh Maimonidis Hebræorum ſapientiſſimi, ex Hebræo in Latinum verſi, uberioribusque notis illuſtrati a* GEO. GENTIO, *ad virum doctiſſimum præſtantiſſimumque* GENEBRANDVM ANSLO, *Amſtel. apud Jo. & Corn. Blaev.* 1640. 4. quem primum adoleſcentiæ fœtum ANSLONIVS magno complexus eſt amore. u)

VI.

tion to me hath ſchouldered ont the Hantburgers. Gord Sir, if you conveniently may inſtruct me, what this means. I exceedingly eſteem the worth of the autor, but knowing nothing of his quality Iwould gladly alſo be thereof inſtructed by you. For knowing what I do of the Editions, I cannot well returne him a letter, ill I am better inſtructed of thoſe Circumſtances.

u) Canones Ethicos ſalutavit, quia Maimonides poſt

VI.

Illis itaque, quæ publica fruuntur luce, recenſitis, ad ea monumenta, quæ nondum typis exſcripta, perrecturi ſumus. Pauca in ſchedis MStis, quas posſidemus, latitant; pleraque enim vel clam ſurrepta, adeoque diſperſa fuerunt, vel tandem plane interierunt. Interim & recenſionem ineditorum nonnihil ad GENTII nomen ab obſcuritate vindicandum conferre crediderim. Quæ inter primo loco memorandum eſt MVSLADINI SADI *Pomarium*

poſt poſita prima legis fundamenta bonos & pios mores quam maxime neceſſarios eſſe velit: vid. Præfationem, in qua totius libri ſummam ſubminiſtrat; Adjecit Gentius etiam notas generales & ſpeciales, quarum illæ exhibent fuſiorum Moralium tractationem; hæ nonnullas continent obſervationes in autoris tractatum, in quibus etiam ex Talmude Babylonico medicamenta ibidem paſſim disjecta digerit. In fine promittit Gentius quædam de Aſtronomia & Eleemoſynis, quæ ejusdem autoris jam confecta habuit, in lucem emittere; atvero, quantum nos quidem ſcimus, Canones iſti, quorum plagulas nonnullas inter MSta reperimus, nunquam prodierunt. Recenſionem Canonum Ethicorum pleniorem reperies in Jo. Fabricii P.V. Bibliothecæ Fabricianæ, p. 338. & Voëtii Bibl. Studii Theologici l. II. c. 20. p. 554. qui Ethicam Rabbinorum in illis exhiberi judicat.

rium Politicum, *decem capita complexum*, *Persice & Latine annotationibus illustratum*, *in fol.* In præfatione ad *Rosarium* GENTIVS summam decem capitum breviter enumerat, & hoc opus elegantia & sapientissimis institutis *Rosarium* ipsum longe superari alibi prædicat. x) Illam versionem intercidisse, dolendum omnino est, nec aliquando in lucem protractum iri, facile sperandum, cum jam olim AVGVSTVS PFEIFFERVS, Theologus & Philologus tum temporis apud Lipsienses celeberrimus, ita ad M. ANDREAM BEYERVM meum b. m. avum scripserit de GENTIO: Fecit ille alias spem edendi *Bostân s. Pomarii*

x) Hujus libri elogium suppeditat supra citatus Herbelotius l. c. p. 212. *C'est un ouvrage mele de morale & de Politique & diversifié par le recit de plusieurs histoires*, *qui a eté traduit*, *expliqué & commenté par un grand nombre d'auteurs*: porro: *cet Ouvrage de Saadi avec celui*, *qu' il a intitule Gulistan*, *sont si connus & si estimez dans l' orient que les auteurs qui en parlent*, *disent tous*, *qu' il est superflu d'en faire eloge.* Ex codicibus MStis, quorum plures occurrunt, notamus Codicem Vindobonensem a Nesselio totidem verbis laudatum, utpote cujus pretium elegantia Scripturæ in charta bombycina & imagines Persica arte elegantissime depictæ, aliæque, quibus ornatur, figuræ inprimis augent. v. Catal. Bibl. Vindebonensis p. 151. ubi de Codd. MStis Orient.

rii ejusdem MVSLADINI SADI, unde aliquoties ſcripſi ad M. JENTSCHIVM, num tale quid vel ſaltem textus ipſe Perſicus in ſchedis ipſius deliteſceret, exploraturus. Sed fruſtra fui. Non meliori fortuna gaviſum eſt *opus de ſplendida Gemmarum materia*, & aliud *de Perſarum Regum moribus*, quod ultimum ad umbilicos perveniſſe ex memorabili Illuſtris FRISII epiſtola diſcimus. y) Sed quamvis GENTII propoſitum, quo

y) Quæ huc pertinent, illa excerpſimus, cætera ſtudio omittentes: Quin & illud inſuper impetrari poſſe confido, ut integrum opus de Perſarum Regum moribus, vel ſi quid aliud magis arrideat, excudi permittat in Hollandia Princeps ea forma, quam obtulit Blavius: Idem tamen dedicationem libri non iniqua lege ſibi vindicare videtur invicem; ut cum illuſtri aliquo elogio jam nunc noteſcat exteris, & famam ſui longe lateque te parario diffundat. Quod quam non indecorum tibi futurum ſit, tanti principis nomen te auctore inclareſcere, facile, me tacente, intelligis. Quo quidem haud perhiberis, quo minus & illorum quoque mentionem honorificam grata cum recordatione adſpergas, quorum beneficio ac ſumtu ad Orientem primum atque interiores Orientis Literas aditus tibi patuit, ne ſi penitus de his ſilueris, ingrati ac immemoris animi argui merito apud ſuperſtites queas. Nec enim ita intemperanter gloriæ avidus eſt Princeps, ut eam ex infamia tua aucupari, decorum ſibi exiſtimet.

quo primum librum una cum præfatione ejus ſcripti, quod eſt *de Regum moribus*, prelo committere inſtituerat, optimo Principi JO. GEO. II. probaretur, impreſſionem tamen factam eſſe, ſubdubitamus. Adlegatur porro in Privilegiorum Diplomatibus *Liber de Militia & Regibus Hebræorum, de Hebræo in Latinum verſus & annotationibus illuſtratus in 4to*, quem inter λείψανα αὐτόγραφα adhuc ſupereſſe conjicimus, ſub hoc titulo: *Moſis Maimonidis Regii & militares Canones civitate Romana donati, per* GEO. GENTIVM, Conſtantinopoli morantem. Quibus adjecimus operis illius nomine משנה תורה *Legis ſecundæ præfationem & argumentum ſcilicet univerſa Hebræorum præcepta numero ſexcenta tredecim, libros, ut lector animum ad feliciorem operis lectionem præparet, cum Epiſt. Dedicat. ad Vir. Cl.* GEREBR. ANSLONIVM, *Impr. Amſtel.* Præterea apud nos reſervantur *Targumim ſ. Chaldaica paraphraſis in libros Paralipoménων, quæ, ut* GENTIVS *ſcribit, in omnibus Bibliis deſideratur, in utraque Regia etiam Hiſpanica & Gallica editione;* z) in qua multa

z) A multis retro temporibus dubitatum fuit, an uſpiam Targumim in libb. Chronicorum extiterint, donec Matthias Frid. Beckius ex Codice Erfur-

multa hiſtorica alibi nusquam extantia referuntur, civitate latina & annotationibus illuſtrata. Cujus pleraque in chartis MStis habentur, ut & *Hiſtoria rerum in Ottomannico Imperio per ſeptennium geſtarum*, cui tamen manum nunquam ſerio eum admoviſſe, nobis viſum eſt. *Verſionem* etiam *tractatus Maimonidis*, קדוש החודש *de Conſecratione Novilunii, in quo quæſtiones de tota Calendarii Judaici ratione proponuntur, ſimulque reſolvuntur*, exorſus eſt, ſed multum operæ ad perficienda & expolienda, quæ ſuggeſſe-

Erfurtenſi & David Wilkius ex Codice Cantabrigienſi cum verſione latina & notis in lucem emiſerunt, contuli has Celeb. Virorum verſiones cum MSto Gentii, & quod ad loca mutila rerumque ſeriem, multum intercedere diſcriminis, deprehendi; Autorem horum Targumim fuiſſe Joſephum Luſcum, perhibent. Pluribus hæc omnia erudite perſequitur Venerabilis Lubecenſium Præſul, quondam Præceptor noſter nunquam ſine mentis veneratione nominandus, D. Jo. Gottlob Carpzovius Criticæ Sacræ Part. II. cap. I. p. 453. Gentius exemplar ſuum deſcripſerat ex vetuſtiſſimo Manuſcripto Bibliothecæ Regiæ Maroccanæ; de qua Bibliotheca ex Erpenio teſte oculato Orationis II. p. 64. patet: quod ea a Nearcha Maſſilienſi in Hiſpaniam avecta ſepties mille & octingentis codicibus conſtiterit. conf. Jo. Lomeierus de Bibliothecis Davent. 1669. 8. p. 281.

gesserat, meditatio & versio nimis accelerata, adhuc requiritur. Cum blattis forte rixabuntur, vel plane interierunt: *Descriptio Aulæ Ottomannicæ,* a) *Historia de Ottomannico imperio, ejus provinciis, provinciarum regiminibus, & imperii vectigalibus, de militum cum equestri tum pedestri ordine, & de militum stipendiis Turcice & latine in quarto. Historia s. res gestæ Alexandri Magni a* PTOLOMÆO *ejus Duce græce descriptæ, hucusque deperditæ, ab Absaidum Imperatore* MEIMVNE *sapientiæ studiosissimo arabice adservatæ, a* GENTIO *autem latine versæ* in *4to*, & denique *Lexicon Persicum & latinum.* Quæ inedita, quamvis pleraque parem cum suo autore iniquitatem passa fuerint, reliqua etiam, quæ in scriniis nostris adhuc latent, partim adeo informia sint, ut lucem sperare vix possint, satis tamen demonstrant, in quam laudabili labore ejus semper sit versata industria, & quam inique isti in beatos GENTII manes desævierint,

a) De hac Ill. Henr. Frisii Epistola continet sequentia: Deest narrationi de Aula Turcica, cujus partem utendam nobis describendamque dederas, ut scis, satis multum, id si explere velles, operæ pretium haberemus non leve. Ne scriptum cætera haud contemnendum tanta sui parte minutum curtatumque fœde claudicare videatur.

rint, qui, cum Patriam cum GENTIO habeant communem, celebritatem tamen ejus obfuſcari magis malunt, quam de tam docto terræ ſuæ olim cive ac filio ſibi lætabundi gratulari.

VII.

Sed ad finem: Itaque ea, quæ de commercio literarum, quod Noſtro cum plurimis ſeculi ſui eruditis interceſſit, dicenda ſuperſunt, adhuc exponimus. GENTIVM magnam ſcriptis ſuis atque itineribus nominis celebritatem aſſecutum eſſe, procul omni dubio affirmabunt, qui has, quas dedimus, plagulas, fugitivo oculo percurrere non dedignabuntur. Eadem de cauſa quoque factum eſt, ut GENTIVS amicitiis multorum literatorum, quorundam etiam hoſpitiis uteretur, qui eum frequenti literarum uſu ſtudioſe alebant; quosque Noſter viciſſim pro ſua literarum cura amiciſſime complectebatur. Valde quidem doleo, pauciſſimas tantum literas a GENTIO b) ſcriptas

H ad

b) Hæc eſt Epiſtola ad Adr. Junium ſcripta eo tempore, quo Junii uxor deceſſerat:

Clariſſime & Summe Virorum, Amicorum integerrime & amiciſſime. Neſcio

ad manus meas perveniſſe, ſed neutiquam miror, cum plerique eruditorum præter nomen

Neſcio, quid de tuo ſuſpicari debeam ſilentio? fata haud ita iniqua arbitror, ut Muſis meis ita carum eripuerint patrocinium: neque mutatum animum ita benevolum, cum ipſi conſtantiæ leges facile præſcribas; Sed ſi verum, quod fama tulit, fatendum: dolor, quem cara conjux abitu reliquit, ſilentium indixit. Haud mirum, ſi hoſpes ita cara, inſperato ſuo diſceſſu, reditum nullum pollicita, præcordia tua graviſſime vulneraverit: me certe fama feminæ honeſtiſſimæ & magnificentiſſimæ ita conſternavit, ut tibi non ſaltem conjugem ſed mihi benigniſſimam matrem ereptam lugeam. Cum vero fatis mortalium imperet nemo, aſſentiendum erit, ubi diſſentiri nequimus. Vmbræ ſumus, breviuſculis itaque ſpatiis vitam noſtram complectamur, ut, cum evanuerit, breviori dolore afficiamur. Præterea in ancipiti verſatur, utrum fas ſit, animum, pro varia fortuna, variis ſuppliciis afficere. Rectius mihi videtur, ſi quæ mala & ingrata eveniunt, bona ſtatuamus, quia mens illa divina omnia in bonum finem agit, egregium exemplum actorum Dei affertur Arabibus: quo Moſes dux vatesque Hebræorum quendam varia fortuna perculſum, imo quaſi oppreſſum erexit: docendo, quæ mala videntur, bona eſſe: navim quandam recentem

nomen fere nihil de GENTIO ſciverint. Major tamen copia literarum, quibus ab-

tem tempeſtas concuſſit adeo, ut ipſi nautæ vix periculo elapſi malum teſtarentur: perculſus rogat, numquid hoc bene factum? Aſſerit Moſes, heus tu jam adfuturus eſt tyrannus quidam, niſi videret naufragium: navim & nautas in captivitatem abduxiſſet: 2. Moſes adit cum dubitante ædiculam, ubi geminos in cunis conſpexit: Moſes unum ex infantibus jugulat: Dubius rogat, Numquid hoc bene factum? Reſpondet, imo, quia ipſe multorum malorum auctor quondam futurus. 3. Moſes pergit, & novas ædes tempeſtate diruit: Roganti denuo reſpondet: Quia in iſto ſolo reconditæ ſunt opes, quæ mole ruderum occulendæ, quia poſt aliquot annos vir aliquis bonus naſcetur, qui opibus potiturus multa beneficia dignis conferet. Si quis mente depreſſa hæc aſpiceret, mortalibus exitio futura diceret, cum tamen ſaluti fuerunt. Præterea ſollicitudo aut de re futura aut præterita; Poſterior inutilis, quia præterita facta infecta fieri nequeunt; De futuris ſollicitum eſſe non decet, quia ſunt incerta, fieri quippe poteſt, ut, dum pejora timemus, meliora eveniant. Fruſtra itaque ſollicitudo rerum futurarum, quæ non ſunt in noſtro arbitrio. Sed de rebus in arbitrio noſtro poſitis ut conſervandis ſollicitum eſſe, virtus erit.

ſentis GENTII amicitiam diligentiſſime coluerunt alii, conſpicitur, quarum alias, ſi memoratu digna contineant, integras, alias tantum excerptas cum L. B. communes faciemus. Perilluſtres FRISII, quos ſupra cum laude nominavimus, inprimis Noſtrum literis compellaverunt, & tum benignitatem, qua GENTIO favebant, tum ſtudia & amorem librorum, quibus bibliothecas ſuas exornare cupiebant, in tantum non omnibus lineolis oſtenderunt. c) Præter hos autem fuerunt,

---

c) Ex pluribus, quæ ſuperſunt, literis novorum librorum comparationem plerumque efflagitantibus, hanc unicam epiſtolæ an. 1650. ſcriptæ, partem adjiciam: Miraculo dignum eſt, quod indicas de nova ad Indos navigatione: magnum oppido facinus inceptant & memorabile, quibus id aggredi animus eſt, quod adverſus potentiſſimæ reipublicæ diu jam coalitas opes metuo, ne parum conſultum ſit, attentare velle. Si tamen negotium illud confieri aliqua ratione poſſet, tantum abeſt, ut damna inde metuenda cenſeam hiſce provinciis; lucro potius ceſſurum putem haud temnendo: cum magno & cannabis & lignorum proventu abundent hæ partes, quorum in

runt, JO. PHILIPPVS DE CRAM, HIERONYMVS IMHOFF, JOH. SIGISMVNDVS A ZEIDLER, d) JOH.

in navigationibus uſum eſſe ſcis minime levem, imo plane neceſſarium; increſcente ſemper hinc pretio, & in principis ſtatim ærarium, partim & privatorum facultates redundaturo. Si tamen hæc commoda non aliter niſi periculo atrocis cujusdam & forte internecini in vicinia belli conſtiterint, haud putem eſſe tanti vel opulentiſſimum, qui inde ſperari poteſt, quæſtum, ut amici populi & finitimi ea propter funeſtiſſimo bello involvantur. Hæc eſt mea privatim hac de re ſententia.

d) Erat hic Zeidlerus in literis verſatiſſimus, &, quod memini, Orationem de Concordia ſtatuum Imperii ſcripſit. Inter Epiſtolas ad Gentium hanc etiam reperimus: Intercedit mihi altercatio quædam litteraria cum viro non infra mediocritatem erudito, concernens Turcarum cognitionem humaniorum artium & ſcientiarum, aut ſecus. Vbi ego (tuis olim ſuffultus relationibus) affirmativam teneo, illo fortiter negante, & immanem quandam atque horridam barbariem Turcarum objiciente. At ego nondum conceſſi in ejus ſententiam. Oppoſui namque homini patrocinia Erpenii, Hottingeri,

JOH. GVIL. DE GANGANGEL, GVILIELMVS BOSWELLVS, APPELBONIVS, JAC. GOLIVS, CHRI-

geri, & non proletariæ monetæ ſcriptorum. At ille ſubfugia quærit & diſtinguit inter Arabes & Turcas, inter litterarias ſuppellectiles, quæ diurnis nocturnisque teruntur manibus, & inter illas, quæ ornamenti aut jactantiæ cauſa exponuntur viſu; Libros etiam illorum magni vendi, non quod alicujus hili exiſtant, ſed quod ſcribantur & non imprimantur. Vrget tandem, oſtendam ipſi exerto digito Gymnaſium a Turcis excitatum, ubi imbuantur bonarum literarum cupidi. At poſtulatum iniquum eſt, cum Conſtantinopolim conceſſurus ſim neutiquam, ut coram explorem ea & lares reverſus referam. Tu vero, Domine, quæ celebrandæ tuæ ſitis eſt, inveſtiganda & detegenda omnia & ſingula, quæ apud Orientales, non obeſæ, ut opinor, naris homines, in more poſita ſunt, luſtrum & quod excedit, cum non ſpernendo commodo Conſtantinopoli exegiſti, &, niſi omnem decoxerim recordationem, non ſimplici vice enarraſti mihi, (videbaris enim tum quidem temporis aliquid tribuere amicitiæ noſtræ) in imperiali illa urbe centena proſtare Athenæa, ubi juventus non in mero Alcorano aut equeſtribus exercitiis, (ut meus quidem ſomniat adverſarius)

CHRISTI. RAVIVS, JO. MICH. DILLHERRVS, ADRIANVS JVNIVS, JAC. WELLERVS, PAVLVS MARQVARDVS, SLEGE-

rius) ætatem exigat, ſed Phyſiologiæ & Philologiæ operam ſimul virilem navet. Hinc naſcitur audacia non mediocris, quæ peperit & nixa eſt, non ſiniſtris, quod ſpero, avibus, has quas legis literas. Humanitatem enim tuam (olim in excelſo poſitam) & peritiam obteſtor, velis me de ſpeciminibus Eruditionis Turcicæ non contemnendæ edocere, ne triumphet adverſarius ante victoriam, & putet ſe inveniſſe, quod pueri dicuntur in herba. Eſt enim, ut hoc apud Te non diſſimulem, Homo multivariæ lectionis, at cum theologicis ſacris operetur, & Chriſtianis certamen inſtet quoddam Muhammedicum, hinc totus occœcatus eſt, & in iras effervefcit adverſus Barbaros, atque fulgura minatur ex vitro, mallet etiam Turcas in belluas plusquam Ovidiana & Apulejana metamorphoſi convertere, quam eis vel umbram Eruditionis indulgere. Et quod non vulgariter deteſteris etiam Arabibus (talibus, tantisque viris, ad quos nos ne hiſcere quidem audemus, ſed repimus terræ) omnem aufert litterariæ cognitionis gloriam. Scripſiſſe equidem eos, at quisquilias, ſordes, nænias, nugamenta, immo puerorum cre-

LIVS, e) BORELIVS, f) GERH. JOH. VOSSIVS, JOH. & DAV. SCHELL-

pitacula. Medicam induſtriam primoribus labris deguſtaſſe &c.

e) - - - De raris ex Oriente allatis valde ſollicitus ſum, ut fideli manu mihi tradantur, præſertim cum terra magno incommodo, mari majori periculo vehantur. Vtinam horum Catalogum videre liceret! Experimenta Medica præſertim in peſte & podagra ſi certa, ſi efficacia, magni æſtimanda duco, licet ſæpe plus promittant, quam revera præſtent. Alpinus ex Ægypto non pauca & admiratione digna Europæis communicavit, ſed cum regione vires mutaſſe videntur. Adventum Tuum præſtolamur omnes magno deſiderio, Nobiles, noſtra commendatione, qui eligere in Italia præfectum vel comitem cupiant, nobis ignoti ſunt; Patavii in Natione Germanica non raro inveniuntur, qui valde ambiunt doctorum virorum converſationes, Autor eſſem, ut hunc locum celeberrimum viſitares. &c.

f) Quid negotii Gentio fuerit cum Borelio? nulla conjectura aſſequi poſſum, conjiciant itaque alii:

Cla-

SCHELLHAMMERI, MICH. KIRSTENIVS, JOH. VORSTIVS,

Clariſſime Vir

Literis Tuis humaniſſimis ſatisfacere, necdum licuit: publica negotia otia impedunt literaria. Ornamenta iſta ſunt, non Rerumpublicarum fundamenta, quibus jaciendis, ſtatuminandis hic deſudatur. Vbi itaque mollia fandi tempora nactus fuero, amicitiæ noſtræ neutiquam deero. Me quidem quod attinet, ſecretiſſime, ut cupis, fient omnia; at ſolent Principes ſua cum aliis communia facere conſilia, unde facile ad alios dimanare queat, quod clam haberi volumus. Eſt mihi intimus D. Duræus, qui ubi ab Helvetiis ad nos redierit, plurimum utrique noſtrum gratificari poterit; eſt enim Do. Protectori familiarisſimus. Sin igitur veniam mihi dederis, tua iſta cum ipſo communicandi, faciam. Sin minus, tentabo utcunque potero, ſolus, ut morem Hum. Væ. geram. Interea, Eruditisſime Vir, tibi perſuadeas velim, neminem eſſe cui cedere velim in humanitatis officiis tibi deferendis. Et qui magis exoptet, ut illuſtria tua ſtudia ſcopum iſtum aſſequantur, qui publico bono maxime conducat. Quo in voto deſino. En dextra, fideſque debitis-

que

GLANDORPIVS, MATTHIAS ZIMMERMANNVS, PETRVS SCAVENIVS, BERNH. FVLLENIVS, CLEMENS BRECHTIVS, g) TOL-

que Humanitati Væ. a me oblatis officiis maneo

Eruditionis Væ.

Londini. ad Stum Jacobum. IV. Non. Martius cIↄ Iↄ CLV.

Cultor & si daretur fautor,
A. Borelius.

g) a. 1677.

Georgio Gentio, Clemens Brechtius Argentoratensis Prim. Min. Ecclesiæ ad S. Nicol. Francof. ad Oderam.

Vir Nobilisſime & Excellentisſime, ita me affecit nuperrima Tua apud communem Patronum noſtrum Generoſum Dominum de HARSANY converſatio, ut ejus non ſine ſumma voluptate ſæpius recordari queam; quam vellem ſæpius alloquio tuo frui atque de variis Exoticis erudiri. Et utinam mihi ſperare liceret adventum tuum ad nos, inter quos fortaſſe non minus commode, quamvis ab Aula remotior, viveres, niſi Tibi forte Academica vita inferior tua ſorte videatur. Nemo eſt

TOLLIVS, & sexcenti alii, qui quam sæpissime literas cum GENTIO commutaverunt, ab eodemque in varii argumenti rebus instrui magno sibi duxerunt fructui. Eo autem præcipue tempore cum eruditis per literas agebat, cum ex Oriente reversus Amstelodami inter quotidianos doctissimorum virorum congressus versaretur. Nec diu admodum illa duravit felicitas, siquidem postea negotiis, quæ ipsum Principis causa suscipere oportuit, & variis calamitatibus, iisque domesticis impediebatur, quo minus doctorum compellatio-

mo est apud nos, qui post Beatiss. Ravii obitum exoticas linguas doceat. Nuper quidam inventus est, qui se aliquid esse putavit, & iter in Orientem meditabatur, futurus ibi e Graculo Aquila, sed subita Metamorphosi in Asinum est mutatus, & in ipso primo gradu itineris incepit rudere. Quid de faba Cafe sentias, an ejus potio Impotentiam inducat, quod nuper aliquis hic asseverare sategit, quæso Te, utpote cui hoc ignotum esse non potest, me certiorem redde. An Pomarium post Rosarium non etiam sis exculturus, desidero scire. Non patere spero interire tam nobilissimum Hortum. &c.

lationibus ſatisfacere, animumque hoc deliciarum paſtu reficere poſſet.

VIII.

Si denique de animi Charactere GENTII ferenda ſit ſententia, quem ex ſcriptis ejus literisque ſatis, ni fallamur, perſpicere potuimus. Præſtantisſima in juventute memoria, non quidem adeo facili ingenio, acriori tamen judicio gaviſus eſt; Corpore autem perpetuis in ſenectute animi ægrimoniis contabeſcente, iſtas plane divinas animæ facultates minui cœpiſſe, non eſt, quod miremur. In ſtudiis asſiduus, imo pertinax, in laboribus conſtans, in vita candidisſimus, aulico igitur non fuit ingenio, nec ſimulando aut disſimulando ubique ſcenæ rerum inſervire didicerat. Si vero vitium dicendum eſt, quo homines carere vix deprehendimus, Noſter, quod præſenti animo in periculis haud ſteterit, culpandus erit. Interim non quidem tam GENTIO favemus, ut putemus nihil ejus virtuti ad firmitatem defuiſſe, namque in ſenectute, quibusdam exiſtimationi ejus atque vitæ inſi-

insidias struentibus, in suos, eosque amicissimos, maxime fuit suspiciosus, & quamvis a societatibus se non abstraheret, moribus tamen minus decentibus displicuit aliis, qui vero ubi sermones continuabant, non quidem jocos audiebant, sed vitium istud, quod linguarum cultoribus ut plurimum adhærere solet, a nostro non multum abesse intelligebant. Qua in re præterea erraverit, hoc doctiorum esto judicium, quo ego adquiescam. Hanc certe mihi laudem tribuo, me adversus animi sententiam inque veritatis præjudicium nihil scripsisse, & denique hoc amplissimum impensi laboris habebo præmium, si Lector benevolus mecum in eo pulcre consentiat, a suis quin etiam meis moribus non esse alienum, famam bonorum virorum, quæ inprimis mortuorum propria atque unica possessio est, contra malevolorum voces defendere & ab obscuritate vindicare.

F I N I S.

ERRATA.

p. 6. l. 4. ſine p. 10. l. 9. little. p. 15. l. 7. obverſante l. 16. huc. p. 21. l. 17. Noſter. p. 49. l. 4. ubi. p. 59. l. 3. qua. p. 81. l. 24. autem del. p. 95. l. 1. ו vel ו. p. 97. n. l. 5. voyez. p. 105. n. l. 8. worthy. ib. l. 9. know. l. 20. true. l. ult. i tink, pro ink. p. 106. n. l. 1. Good. p. 108. n. l. 7. ſuperare. ibid. l. 14. ſcripſit.